




# Eutropij V.C. Historiae Romanae libri decem,

<https://hdl.handle.net/1874/420877>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**


- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

RARIORA

X. 1 Oct.

193

*Faint handwritten text, possibly a title or date, on a small piece of paper at the top of the page.*




Elle opus  
de laus

88

111







Manuscript title or header

In nomine domini Amen  
Obsequium tuum in die  
iudicii etc. etc.

Litterae Latinae

Octavo n°. 193.



193

Handwritten Latin text, likely a letter or official document, starting with 'D'.

193

193

193

193

193

193

193

193

193

193

193

193

193

193

193

193

193

193





N. 80. C.

o Ex dono H. Baegehi

# Eutropij V.C.

HISTORIAE ROMANAE  
Libri decem,

NUNC DEMUM INTEGRITATI  
suae post tot corruptiss. editio-  
nes restituti, beneficio anti-  
quiss. exemplaris,

PER ANTONIUM  
Sconhouium. 1546

G. CASSANDRI.

Haecenus Eutropij titulum, nomenq. sed ipsum  
Nunc demum Lector conspicis Eutropium.

BASILEAE.



5

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

# EUROPEAN V.C.

HISTORICAL RECORDS

OF THE

EUROPEAN V.C.

OF THE

EUROPEAN V.C.

OF THE

EUROPEAN V.C.

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

CLARISSIMO VIRO D. LV  
douico à Flandria, sacri cubiculi Caesaris præpo  
sito, ac Hollandiæ gubernatori, Anto  
nius Sconhouius S. D.



V M administrandæ reipub. ra  
tio omnis ferè peti solet aut è  
præceptis philosophorum, aut  
ab historiæ exemplis, nos hæc li  
bētius à Romanis accipere con  
sueuimus, quòd imperiū eorum non modò amplif  
simū, et rerum gestarū magnitudine præclarum,  
uerum etiā melioribus institutis & legibus, quàm  
cæterarum nationum, gubernatum fuerit. At  
uix aliquem in tanto scriptorum eius gentis nu  
mero reperire liceat, qui iusta breuitate, res tan  
tum publicas & ciuiles ab initio conscripserit,  
si unum Eutropium excipias: qui licet scripsit  
posterius, neq; tamen minor eloquentia, & iudi  
cio etiam superioribus fuit eminentior. Quod  
quo minus hæcenus apparuerit, in causa fuit de  
formitas ipsius, quam intulit ei Paulus Diaco  
nus. Is enim, iubente (ut notatum inuenio) Domi  
na Adilbergha, Desiderij Longobardorum regis  
filia, & cōiuge Archi Beneuentani ducis, non so  
lum auctoris huius historiam duobus libris suis  
produxit, sed ipsam penè quoq; inuertit, dū mul  
ta ei de suo addidit, multaq; passim ademit, aut  
transposuit. Id quod ego cum ex collatione inte  
gerrimi

## EPIST. NVNC.

gerrimi exemplaris (quod subministravit nobis R. D. Abbas ac Præpositus S. S. Ioannis & Bauonis apud Gandenses) deprehendissem, nolui committere, quin tam utilem auctore integritati suæ restituerem, syncerumque ederem, ne posthac (quod doctissimis etiam usu uenisse uidemus) Paulina pro Eutropianis citentur: quæ quantum distent, aliorum esto iudicium. Tanta certe clade hunc ille affecerat, ut nulla inueniri impressa exemplaria, quæ castigationem sustinerent, à me potuerint. Quare totum ipse describere coactus sum. Quem laborem publicæ utilitatis studiorum causa susceptum, ideo nomini tuo dedicare uolui, quod unus sis inter heroes nostros, qui de literis optime iudicare potes. Bene uale. Brugis calend. Iulij. Anno à Natali Do-

mini 1545.

DOMI-

DOMINO VALEN

TI GOTHICO MAXIMO

*perpetuo Augusto.*



ES Romanas ex uoluntate māfuetudinis tuæ ab Vrbe condita ad nostrā memoriā, quæ in negocijs uel bellicis uel ciuilibus eminebant, per ordinem temporum breui narratione collegi, strictim additis etiā his quæ in principum uitis egregia extiterunt, ut tranquillitatis tuę possit mens diuina lætari, prius se illustrium uirorum facta in administrando imperio secutam, quàm cognosceret lectione.

Eutropius, v. C. peculiari-  
ter † suus.

*fortè, tuus.*





OMANVM im-  
periū, quo neq;  
ab exordio ullū  
ferè minus, neq;  
in cremētis toto  
orbe amplius

humana potest memoria recor-  
dari, à Romulo exordiū habet:  
qui Rheæ Syluiæ Vestalis uirgi-  
nis filius, & (quantū putatus est)  
Martis, cū Remo fratre, uno par-  
tu editus est. Is cū inter pastores  
latrocinaret, decimo octauo an-  
no natiuitatis suę, urbē exiguā in  
Palatino mōte constituit, xi. kal.  
Maij, Olympiadis sextę anno ter-  
tio, post Troiæ excidium, ut qui  
plurimum minimumq; tradūt,  
trecentesimo nonagesimo quar-  
to, condita ciuitate, quam ex no-  
mine suo Romam uocauit, hæc  
fermè

fermè egit. Multitudinem finitimorum in ciuitatem recepit: centum ex senioribus elegit, quorū cōsilio omnia ageret, quos Senatores nominauit propter senectutē. Tunc cū uxores ipse & populus non haberent, inuitauit ad spectaculū ludorū uicinas urbis nationes, atq; earum uirgines rapuit. Cōmotis bellis propter raptarum iniuriā, Cœnīnēses uicit, Antennates, Crustumīnos, Sabinos, Fidenates, Veīētes: hæc omnia oppida urbē cingūt. Et cum orta subitò tempestate non comparuisset, anno regni trigesimo septimo, ad deos transfisse creditus est, & cōsecratus. Deinde Romæ per quinos dies Senatores imperauerūt: & his regnantibus annus unus completus est.

Postea Numa Pompilius rex creatus est: qui bellū nullum quidem gessit, sed non minus ciuitati quā Romulus profuit. Nam & leges Romanis, moresq; cōstituit, qui cōsuetudine praeliorum iam latrones ac semibarbari putabātur. Annum descripsit in x. menses, prius sine aliqua disputatione cōfufum: & infinita Romę sacra ac templa cōstituit. Morbo decessit, quadragesimo & tertio imperij anno.

Huic successit Tullus Hostilius. hic bella reparauit, Albanos uicit, qui ab urbe Roma xij. milliaro sunt. Veiētes & Fidenates, quorū alij sexto milliaro absunt ab urbe Roma, alij octauodecimo, bello superauit. Urbem ampliāuit, adiecto Cœlio monte, cū triginta

triginta duobus annis regnasset,  
fulmine ictus, cū domo sua arsit,

Post hūc Ancus Martius, Nu  
mæ ex filia nepos, suscepit impe  
rium. contra Latinos dimicauit,  
Auentinū montem ciuitati adie  
cit: & Ianiculū, † apud Hostiam  
ciuitatē supra mare sextodecimo  
miliario ab urbe Roma cōdidit.  
xxiiij. anno impij morbo periit.

*apud redun  
dare uide-  
tur.*

Deinde regnum Priscus Tar  
quinius accepit. Hic numerū Se  
natorū duplicauit, circū Romæ  
ædificauit, ludos Romanos in  
stituit, qui ad nostrā memoriam  
permanent. Vicit idem etiam Sa  
binos: & nō parum agrorū sub  
latū iisdē, urbis Romę territorio  
adiunxit, primusq; triumphans  
urbē intrauit. muros fecit, & clo  
acas, Capitolium inchoauit. xviiij

anno imperij per Anci filios occisus est, regis eius cui ipse successerat.

Post hunc Seruius Tullius suscepit imperiũ, genitus ex nobili foemina, captiua tamẽ, & ancilla. Hic quoq; Sabinos subegit. mōtes tres, Viminalẽ, Quirinalem, Aesquilinũ, urbi adiũxit, primus omniũ cẽsum ordinauit, qui adhuc per orbẽ terrarũ incognitus erat. Sub eo Roma omnibus incensum delatis, habuit capitum lxxxiiij. millia ciuiũ Romanorũ, cum his qui in agris erãt. Occisus est xlv. imperij anno, scelere generi sui Tarquinij Superbi, filij eius regis cui ipse successerat: & filiaẽ, quam Tarquinius habebat uxorem.

Lucius Tarquinius Superbus,  
septi.

septimus atq; ultimus regū, Volscos (quæ gens ad Campaniam euntib. nō lōgè ab urbe est) uicit, Gabios ciuitatē, & Sueffam Pometiam subegit. cū Thuscis pacē fecit, & templū Ioui in Capitolio ædificauit. Postea Ardeam oppugnans, in octauo decimo miliario ab urbe positā ciuitatem, imperium perdidit. Nam cum filius eius, & ipse Tarquinius iunior, nobilissimi Collatini uxorem stuprasset, ea' que de iniuria marito & patri & amicis quæstā fuisset, in omnium conspectu se occidit. propter quam causam Brutus parens, & ipse Tarquinius, populum cōcitauit, & Tarquinio ademit imperiū. mox exercitus quoq; eum qui ciuitatem Ardeā cū ipso rege oppugnabat, reli-

reliquit: ueniensq; ad urbē rex,  
portis clausis exclusus est. Cūq;  
imperasset annos uigintiquinq;  
cū uxore & liberis suis fugit. Ita  
Romæ regnatum est per septem  
reges annis ducētis quadraginta  
tribus, cū adhuc Roma, ubi plur  
imum, uix usq; ad quintum deci  
mum milliariū possideret.

Hinc cōsules cœpere pro uno  
rege duo hac causa creari: ut si u  
nus malus esse uoluisset, alter eū  
habēs potestātē similē coerceret.  
Et placuit, ne imperiū longius q;  
annū haberēt, ne per diuturnita  
tē potestatis insolentiores redde  
rēt, sed ciuiles semper essent, qui  
se post annum scirēt futuros esse  
priuatos. Fuerunt igitur anno  
primo expulsis regib. Cofs. Lu  
cius Iunius Brutus, qui maximē  
egerat

egerat ut Tarquinius pelleretur:  
 & Tarquinius Collatinus, mari-  
 tus Lucretiæ, sed Tarquinio Col-  
 latino statim sublata dignitas est.  
 placuerat enim, ne quisq; in urbe  
 maneret, qui Tarquinius uocare-  
 tur. Qui accepto omni patrimo-  
 nio suo, ex urbe migravit, & loco  
 ipsius factus est Valerius Publi-  
 cola Cos. Cōmouit tamen bellū  
 urbi Romæ rex Tarquinius, qui  
 fuerat expulsus; & collectis mul-  
 tis gētib. ut in regnū posset resti-  
 tui, dimicauit. In prima pugna  
 Brutus & Arūs Tarquiniij filius  
 inuicē se occiderunt. Romani ta-  
 mē ex ea pugna uictores recesser-  
 unt. Brutū Romanæ matronæ  
 defensorē pudicitie sue, quasi cō-  
 munem patrē per annū luxerūt.  
 Valerius Publicola Sp. Lucre-  
 tium



tium Tricipitinū collegā sibi fecit  
Lucretiæ patrem : quo , morbo  
mortuo , iterum Horatium Pul-  
uillum collegam sibi sumpsit . ita  
primus annus quinque cōsules ha-  
buit : cum Tarquinius urbe ces-  
sisset propter nomē, Brutus præ-  
lio perisset, Sp. Lucretius mor-  
bo mortuus esset. Secūdo quo-  
que anno iterum Tarquinius, ut  
reciperetur in regnū, bellū Ro-  
manis intulit, auxiliū ei ferente  
Porsena Thusciæ rege : & Ro-  
mam penē cepit. Verum tum  
quoque uictus est. Tertio an-  
no post reges exactos, Tarquini-  
us cū suscipi nō posset in regnū,  
neque Porsena, qui pacem cum  
Romanis fecerat, auxiliū præ-  
stare, Thusculum se contulit, quæ  
ciuitas non longe ab urbe est: atque

ibi

ibi per quatuordecim annos priuatus cū uxore persenuit. Quarto anno post reges exactos, cū Sabini Romanis bellum intulissent, uicti sunt, & de his est triūphatū. Quinto anno, Valerius ille Bruti collega, & iij. Cofs. fataliter mortuus est, adeò pauper factus, ut collatis à populo numis, sumptū habuerit sepulture: quē matrone, sicut Brutum, annum luxerunt. Nono anno post reges exactos, cum gener Tarquinij ad iniuriam soceri uindicandam, ingentē collegisset exercitum, noua Romæ dignitas est creata, quæ Dictatura appellatur, maior quàm Consulatus. Eodem anno etiam magister equitū factus est, qui dictatori obsequeret. neq; quidquā similius potest dici, q̄ dictatura anti-

antiqua huic imperij potestati, quam nūc trāquillitas uestra habet: maximè cū Augustus quoq; Octavianus, de quo postea dicemus, & ante eum Caius Cæsar, sub dictaturę nomine atq; honore regnauerint. Dictator autem Romæ primus fuit Largius: magister equitum primus Spurius Calsius.

Sexto decimo anno post reges exactos, seditionē Pop. Ro. fecit, tanq̃ à Senatu atq; Consulibus premeretur. Tum & ipse sibi Tribunos plebis, quasi proprios iudices & defensores creauit, per quos contra Senatum & Consules tutus esse posset.

Sequenti anno Volsci bellum reparauerūt: uicti & capti, etiam Coriolos ciuitatem, quam habebant

bant optimam, perdiderunt.

Octauo decimo anno post e-  
iectos reges, expulsus ex urbe  
Quintus Martius dux Romano-  
rum, qui Coriolos ceperat Vol-  
scorum ciuitatem, ad ipsos Vol-  
scos cōtendit iratus, & auxilia cō-  
tra Romanos accepit, Roma-  
nosq; sæpe uicit: usq; ad quintum  
milliarium urbis accessit, oppu-  
gnaturus etiam patriam suam,  
legatis qui pacem petebant repu-  
diatis, nisi ad eum mater Vetu-  
ria & uxor Volumnia ex urbe ue-  
nissent: quarū fletu et precatione  
superatus, remouit exercitum.

Atque hic secundus post Tar-  
quinius fuit, qui dux contra pa-  
triam suam esset.

Cesone Fabio et Tito Virginio  
Cos. trecenti nobiles homines,

b qui ex

qui ex Fabia familia erant, contra Veientes bellum soli susceperunt, promittentes senatui & populo per se omne certamē implendum. Itaque profecti omnes nobiles, & qui singuli magnorū exercituū duces esse deberēt, in prelio conciderunt. Unus omnino superfuit ex tanta familia, qui propter ætatem puerilem duci non poterat ad pugnam. Posthæc cēsus in urbe habitus est, & inuenta sunt civiū capitū cxix. millia.

Sequenti anno, cum in Algido monte, ab urbe duodecimo fermē milliario, Romanus obsideretur exercitus, Lucius Quintius Cincinnatus Dictator est factus: qui agrum quatuor iugerum possidens, manibus suis colebat. Is cum in opere & arans

arans esset inuentus, sudore de-  
terfo, togam prætextam accepit:  
cæsis hostibus, liberauit exercitū.

Anno ccc. & altero ab urbe cō-  
dita, imperium Consulare cessa-  
uit, & pro duobus Coss. decem  
facti sunt, qui summam potestatē  
haberent, Decemuiros nominati.  
sed cū primo anno bene egissent,  
secūdo unus ex ijs Appius Clau-  
dius, Virginij cuiusdam, qui  
honestis iam stipendijs contra  
Latinos in monte Algido mili-  
tabat, filiam uirginem corruppe-  
re uoluit: quam pater occidit, ne  
stuprū à Decemuiro sustineret:  
& regressus ad milites, mouit  
tumultum. Sublata est Decem-  
uiralis potestas, ipsiq; dānati sunt.

Anno trecētesimo decimoquin-  
to ab urbe cōdita, Fidenates cōtra

Romanos rebellauerunt. Auxilium præstabant his Veientes, & rex Veientium Tolumnius.

Quæ ambæ ciuitates tam uicinæ urbi sunt, ut Fidenæ, vij. Veietes xvij. milliario absint. Coniunxerunt se his & Volsci, sed M. Aemilio dictatore, & Lucio Quintio Cincinnato magistro equitum uicti, etiam regem perdiderunt. Fidenæ captæ, & excisæ.

Post xx. inde annos, Veientani rebellauerunt. Dictator contra ipsos missus est Furius Camillus, qui primū eos uicit acie, mox etiam ciuitatem diu obsidens cepit, antiquissimam, Italiæq; ditissimam. Postea cepit & Faliscos, non minus nobilem ciuitatem: sed commota est ei inuidia, quasi prædam male diuisisset; damnatusq;

tusq; ob eam causam, expulsus ciuitate est. Statim Galli Senones ad urbem uenerunt, et uictos Romanos xi. milliario à Roma apud flumē Alliam secuti, etiam urbem occupauerunt, neq; defendi quicquam nisi Capitolium potuit. quod cum diu obsedissent, & iam Romani fame laborarent, à Camillo qui in uicina ciuitate exulabat, Gallis superuētum est, grauissimeq; uicti sunt. postea tamen, accepto etiam auro ne Capitolium obsiderent, recesserunt: sed secutos eos Camillus, ita cecidit, ut & aurum quod his datum fuerat, & omnia quæ ceperant militaria signa reuocaret. Ita tertio triumphans, urbem ingressus est, & appellatus secundus Romulus, quasi & ipse patrię conditor.



## LIBER SECVNDVS.

**A**NNO ccc. lxxv. ab urbe cōdi-  
ta, post captam autem pri-  
mo, dignitates mutatae sunt.

Pro duobus Cōs. facti Tribu-  
ni militares, Consulari potesta-  
te. Hic iam cœpit Romana res  
crescere. nam Camillus eo anno  
Volscorum ciuitatem, quæ per  
lxx. annos bellum gesserat, uicit:  
& Aequorum urbem, & Sutri-  
norum, atque omnes, deletis eo-  
rum exercitibus, occupauit, &  
tres simul triumphos egit.

Titus etiam Quintius Cincin-  
natus Prænestinos, qui usq; ad ur-  
bis Romæ portas bello uenerāt,  
persecutus, ad flumen Alliam  
uicit: & ciuitates quæ sub ipsis  
agebant, Romanis adiunxit.

Ipsam Prænestem aggressus, in  
dedi-

deditionem accepit : quæ omnia ab eo gesta sunt uiginti diebus , triumphus' que ipsi decretus. Verum dignitas Tribunorum militarium non diu perseuerauit. Nam post aliquantum nullos placuit fieri : & quadriennium ita in urbe fluxit , ut potestates sibi maiores non essent. resumpserunt tamē Tribuni militares consulari potestate iterum dignitatem , & triennio perseuerauerunt. Rursus Coss. facti.

Lucio Genutio , & Quinto Seruilio Coss. mortuus est Camillus ; honor ei secūsus post Romulum delatus est.

Titus Quintius Dictator aduersus Gallos , qui in Italiam uenerant , missus est. Hi ab urbe quarto milliario , trās Anienum

fluuium confederant. Nobilissimus è senatoribus Titus Manlius, prouocantem Gallum ad singulare certamen, congressus occidit: & sublato torque aureo, colloq̄ suo imposito, in perpetuum Torquati sibi & posteris cognomen accepit. Galli fugati sunt, mox per Caium Sulpitium dictatorem etiam uicti. Non multo post à Caio Martio Thusci uicti sunt, vij, millia captiuorum ex his in triumphum adducta.

Census iterum habitus est. Et cum Latini qui à Romanis subacti erant, milites præstare nollent, ex Romanis tantum tyrones lecti sunt, factæq̄ legiones decem, qui modus sexaginta uel amplius armatorum millia efficiebat: paruis adhuc Romanis rebus, tanta  
tamen

tamen in re militari uirtus erat.  
 Quæ cum profectæ essent aduer-  
 sus Gallos duce Lucio† quidā Furio Ca-  
 ex Gallis unum è Romanis, qui millo, Li-  
 esset optimus, prouocauit, tum uius.  
 se Marcus Valerius Tribunus  
 militum obtulit: & cum proces-  
 sisset armatus, coruus ei supra de-  
 xtrum brachium sedit. mox com-  
 missa aduersus Gallum pugna,  
 idem coruus alis & unguibus  
 Galli oculos uerberauit, ne re-  
 ctum posset aspicere. ita à Tribu-  
 no Valerio interfectus, non so-  
 lum uictoriam ei, sed etiam no-  
 men dedit. Nam postea idem  
 Coruinus est dictus. Ac pro-  
 pter hoc meritum, annorum triū  
 & uiginti Cols. est factus.

Latini qui noluerūt milites da-  
 re, hoc quoq; à Romanis exigere

cœperunt, ut unus Consul ex eorum, alter ex Romanorum populo crearetur. Quod cum esset negatum, bellum contra eos susceptum est, & ingenti pugna superati sunt: ac de his perdomitis triumphatum est. Statuæ Cols. ob meritum uictoriæ in rostris positæ sunt.

Eo anno etiam Alexandria, ab Alexandro Macedone condita est. Iam Romani potentes esse cœperunt. bellum enim in centesimo & tricesimo ferè milliario ab urbe apud Samnites gerebatur, qui mediij sunt inter Picenum, Campaniam, & Apuliam. Papyrius Cursor cum honore dictatoris ad id bellum profectus erat. Qui cū Romā rediisset, Q. Fabio Maximo magistro equitū, quem apud

apud exercitū reliquit, præcepit,  
ne se absente pugnaret. Ille occa-  
sione reperta, foelicissimè dimica-  
uit, & Sānites deleuit, ob quam  
rem à Dictatore capitis damna-  
tus, quòd se uetante pugnasset,  
ingenti fauore militum & popu-  
li liberatus est: tāta Papyrio sedi-  
tione commota, ut penè ipse in-  
terficeretur. Postea Samnites,  
Romanos, Tito Veturio & Spu-  
rio Posthumio Cofs. ingenti de-  
decore uicerunt. Pax tamen à Se-  
nату & populo soluta est, quæ  
cum ipsis propter necessitatem  
facta fuerat. Postea Samnites  
uicti sunt à L. Papyrio Consu-  
le, septem millia eorum sub iu-  
gum missa. Papyrius de Samni-  
tibus triumphauit. Eo tem-  
pore Appius Claudius Censor  
aquam

aquã Claudiam induxit, & uiam Appiam strauit. Samnites reparato bello, Q. Fabiũ Maximum uicerunt, tribus millibus hominũ occisis. Postea cũ pater eius F. Maximus legatus datus fuisset, & Samnites uicit, & pluri- ma eorũ oppida cepit. Deinde P. Cornelius Rufinus, Marcus Curius Dētatus, ambo Cofs. cō- tra Sānites missi, ingentibus pre- lijs eos confecere. Tum bellum cum Samnitibus per annos no- uem & xl. actum, sustulerunt. ne- que ullus hostis fuit intra Italiã, qui Romanam uirtutem magis fatigauerit.

Interiectis aliquot annis, iterũ se Gallorum copię contra Ro- manos Thuscis Samnitibusq; iunxerunt: sed cum Romam ten- derent,

derent, à P. Cornelio Dolabella  
Cos. deletæ sunt.

Eodem tēpore Tarētinis, qui  
iam in ultima Italia sunt, bellum  
indictum est, quia legatis Roma-  
norum iniuriã fecissent. Hi Pyr-  
rhum Epiri regē contra Roma-  
nos auxilio poposcerunt, qui ex  
genere Achillis originem trahe-  
bat. Hic mox ad Italiam uenit.  
Tumq̃ primū Romani cū trans-  
marino hoste dimicauerūt. Mis-  
sus est contra eum cōsul P. Vale-  
rius Leuinus. qui cū explorato-  
res Pyrrhi cepisset, iussit eos per  
castra duci, ostendi omnē exerci-  
tum, tumq̃ dimitti: ut renūciarēt  
Pyrrho, quæ cum Romanis age-  
rētur. Cōmissa mox pugna, cū iã  
Pyrrhus fugeret, elephantorum  
auxilio uicit: quos incognitos  
Roma-



Romani expauerunt, sed nox praelio finem dedit. Leuinus tamen per noctem fugit. Pyrrhus Romanos mille octingentos cepit, eosque summo honore tractauit, occisos sepeliuit: quos cum aduerso uulnere & truci uultu, etiam mortuos iacere uidisset, tulisse ad coelum manus dicitur, cum hac uoce, Se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent.

Pyrrhus coniunctis sibi Samnitibus, Lucanis, Brutiisque, Romam perrexit, omnia ferro igneque uastauit. Campaniam depopulatus est, atque ad Praeneste uenit, milliarium ab urbe octauodecimo. Mox terrore exercitus, qui cum Consule sequebatur, in Campaniam se recepit. Legati ad Pyrrhum de redimendis captiuis missi, ab eo honorifice

cè suscepti sunt, captiuos sine precio Romā misit. Vnū ex legatis Romanorū Fabricium sic admiratus est, ut cum eum pauperem esse cognouisset, quarta parte regni promissa, sollicitare uoluerit, ut ad se transfiret, cōtemptusq; à Fabricio. Quare cū Pyrrhus ingēti Romanorū admiratione teneretur, legatū misit, qui pacem æquis cōditionib. peteret, precipuum uirū Cyneā nomine, ita ut Pyrrhus partē Italiae, quā iam armis occupauerat, obtineret. Pax displicuit, remādatūq; Pyrrho à Senatu est, eum cū Romanis, nisi ex Italia recessisset, pacē habere nō posse. Tum Romani iusserūt captiuos omnes, quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi, q; armati capti fuissent: nec antè eos  
ad

ad ueterem statū reuerti, quā  
Sabinorū hostiū occisorū spolia  
retulissent. Ita legatus Pyrrhi re-  
uersus est. à quo cū quēreret Pyr-  
rhus, qualē Romam cōperisset:  
Cyneas dixit, regum se patriā uir-  
disse, scilicet tales illic fermè om-  
nes, qualis unus Pyrrhus apud  
Epirū & reliquā Grēcīā putare-  
tur. Missi sunt contra Pyrrhum  
duces P. Sulpitius, & Decius  
Mūmius Cofs. Certamine com-  
misso, Pyrrhus uulneratus est,  
elephanti interfecti, xx. millia cæ-  
sa hostiū, & ex Romanis tantum  
quinq; millia. Pyrrhus Tarētum  
fugatus. Interiecto anno, cōtra  
Pyrrhū Fabricius est missus: qui  
prius inter legatos sollicitari non  
poterat, quarta parte regni pro-  
missa. Tum, cū uicina castra ipse  
& rex

& rex haberent, medicus Pyrrhi ad eum nocte uenit, promittens ueneno Pyrrhum occisurū, si sibi aliquid polliceretur. Quem Fabricius uinctū reduci iussit ad dominum, Pyrrhoq̄ dici, quæ cōtra caput eius medicus sponondisset. Tunc rex admiratus, dixisse fertur: Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate quàm sol à cursu suo auerti potest. Tum rex in Siciliam profectus est. Fabricius uictis Samnitibus et Lucanis, triumphauit. Cōs. deinde, Marcus Curius Dentatus, & Cornelius Lentulus, aduersum Pyrrhum missi sunt. & Curius contra eum pugnauit, exercitum eius cecidit, Tarentum fugauit. Ea die cæsa hostiū xxiij millia. Curius in cōsulatu triumphauit. Primus Romā

c      elephan-

elephantos quatuor duxit. Pyrrhus etiam à Tarēto mox recessit, & apud Argos Græciæ ciuitatem occisus est.

Caio Fabricio Luscinio, & Claudio Cinna Cofs. anno urbis conditæ cccc. lxi. legati Alexandrini à Ptolemæo missi Romam uenēre, & à Romanis amicitiam quam petierant, obtinuerunt.

Quintio Gulone, C. Fabio Picēte Cofs. Picētes bellum commouere, & ab insequentib. Cofs. Publio Sempronio, Appio Claudio, uicti sunt: & de his triumphatum est. Conditæ à Romanis ciuitates, Ariminum in Gallia, & Beneuentum in Samnio.

Marco Attilio Regulo, Lucio Iunio Libone Cofs. Salentinis bellum indictū est, captiꝑ sunt  
cum

cum ciuitate simul Brundusini,  
& de his triumphatum est.

Anno cccc.lxxvij. cum iam clarum urbis Romæ nomen esset, arma tamē extra Italiā mota non fuerāt. Vt igitur cognosceretur, quę copię Romanorū essent, census est habitus. tum inuenta sunt capitū cc. xcij. millia, ccc. xxxiiij. quanquā à cōdita urbe nūq̄ bello cessassent. Et contra Afros bellum susceptū est primū, Appio Claudio, Quinto Fuluio Cofs. In Sicilia contra eos pugnatū est, & Appius Claudius de Afris & rege Siciliae Hierone triūphauit. Insequēti anno, Valerio Marco & Octacilio Cofs. in Sicilia à Romanis res magnę gestę sunt. Taurominitani, Catanenses, & præterea quinquaginta ciuitates in fidē

acceptæ sunt. Tertio anno in Sicilia cōtra Hieronē bellum paratum est. Is cū omni nobilitate Syracusanorū pacē à Romanis impetrauit, deditq; argenti talenta ducenta. Afri in Sicilia uicti sunt, & de his secundò Romæ triumphatū est. Quinto anno belli Punicī, quod contra Afros gerebatur, primū Romani Caio Duillio & Cneo Cornelio Asina Cōs. in mari dimicauerunt, paratis nauibus rostratis, quas Liburnas uocant. Cōsul Cornelius fraude deceptus est. Duillius cōmissō prelio, Carthaginensium ducē uicit, xxx. naues cepit, xiiij. merisit. vij. millia hostiū cepit, iij. millia occidit: neque ulla uictoria Romanis gratior fuit, q̄ inuicti terra, iam etiā mari plurimū possent. Caio  
Aqui

Aquilio Floro, Lucio Scipione  
 Cofs. Scipio Corficā & Sardinia  
 uastauit, multa millia inde capti-  
 uorū abduxit, triumphū egit. L.  
 Manlio Volsone, M. Attilio Re-  
 gulo Cofs. bellū in Africā transla-  
 tum est cōtra Hamilcarē Cartha-  
 ginensiu ducē, in mari pugnatū,  
 uictusq; est. Nā perditis lxxiij. na-  
 uibus, retro se recepit: Romani  
 xxij. amiserūt. sed cum in Africā  
 transissent, primā Clypeā Africę  
 ciuitatē in deditiōē acceperunt.  
 Consules usq; ad Carthaginem  
 processerūt, multisq; uastatis op-  
 pidis, Manlius uictor Romā re-  
 diit, & xxvij. millia captiuorum  
 reduxit. Attilius Regulus in Afri-  
 ca remansit. Is cōtra Afros aciem  
 instruxit, contra tres Carthagi-  
 nensium duces dimicans, uictor  
 c 3 fuit.



fuit. xviiij. millia hostium cæcidit, quincq; millia cum xviiij. elephantis cepit. lxxiiij. ciuitates in fidem accepit. Tum uicti Carthaginenses, pacem à Romanis petierunt: quã cum Regulus nollet nisi durissimis cõditionibus dare, Africæ auxilium à Lacedæmonijs petierunt: & duce Xantippo, qui à Lacedæmonijs missus fuerat, Romanorũ dux Regulus uictus est ultima perniciẽ. nam duo millia hominũ tantũ ex omni Romano exercitu refugerunt, quindecim millia cũ imperatore Regulo capta sunt, xxx. millia occisa, Regulus ipse in cathenas coniectus.

Marco Aemilio Paulo, Seruio Fuluio nobiliore Coss. ambo Romani consules in Africam profecti sunt, cum trecentarum nauum

uium classe Clypeam petunt, & contra Carthaginēses uenerunt, primum Afros nauali certamine superant. Aemilius consul centum & quatuor naues hostium demersit, triginta cum pugnatoribus cepit, quindecim milia hostium aut occidit, aut cepit, militem suum ingenti præda ditauit. Et subacta Africa tum fuisset, nisi tanta fames fuisset, ut diutius expectare exercitus non posset. Consules cum uictrici classe redeuntes, circa Siciliam naufragium passi sunt: & tanta tempestas fuit, ut ex quadringentis sexaginta quatuor nauibus, octoginta seruari uix potuerint. Neque ullo tempore tanta maritima tēpestas audita est. Romani tamen statim ducentas

naues reparauerunt, neq̄ in ali  
quo animus his infractus fuit.

Cneus Seruilius Cepio, & G. Sē  
pronius Blēsus Cofs. cum ducentis  
sexaginta nauibus ad Africā  
profecti sunt, aliquot ciuitates ce  
perunt: prędam ingentem redu  
centes, naufragiū pafsi sunt. Itaq̄  
cum continuæ calamitates Ro  
manis displicerēt, decreuit Sena  
tus, ut à maritimis pręlijs discede  
retur, & tantum sexaginta naues  
ad præsidium Italiae saluæ essent.

Lucio Cæcilio Metello, Caio  
Furio Pacillo Cofs. Metellus in  
Sicilia Afrorū ducem cum c. xxx.  
elephantis, & magnis copijs ue  
nientem superauit, xx. millia ho  
stium cæcīdit, sex & xx. elephan  
tos cepit, reliquos errantes per  
Numidas, quos in auxilium ha  
bebat,

bebat, collegit, & Romam deduxit ingēti pompa, cum c. xxx. elephantorū numero omnia itinera compleret. Posthęc mala Carthaginenses Regulū ducē, quem ceperant, petierunt, ut Romam proficisceretur, & pacem à Romanis obtineret, ac permutacionem captiuorum faceret. Ille Romam cum uenisset, inductus in Senatum, nihil quasi Romanus egit, dixit que se ex illa die qua in potestatē Afrorum uenisset, Romanū esse desiuisse. itaq; & uxorem à complexu remouit, & Romanis sualit ne pax cum Pœnis fieret. Illos enim fractos tot casibus, spem nullam habere, se tanti nō esse, ut tot millia captiuorum propter unum se, & senem, & paucos qui ex Romanis capti fuerant,

rant, redderentur. Itaque obtinuit, nam Afros pacem petētes nullus admisit. Ipse Carthaginē rediit, offerentibusque Romanis, ut eum Romæ tenerent, negavit se in ea urbe mansurum, in qua postquam Afris servierat, dignitatem honesti civis habere non posset. Regressus igitur in Africam, omnibus supplicijs extinctus est. Post Ap-  
pio Pulchro & L. Junio Cōs. Claudius contra auspicia pugnavit, & à Carthaginensibus victus est. Nam ex ducentis xx. cum pugnatoribus captæ sunt, demersæ cæteræ, uiginti millia capta. Alius quoque cōsul classem naufragio amisit, exercitum tamen saluum habuit, quia uicina litora erant. Caio Lucretio Catu-  
lo,

lo, Aulo Posthumio Albino  
Coss. anno belli Punicī xxiiij. Ca-  
tulo bellum contra Afros com-  
missum est. Profectus est cum  
ccc. nauibus in Siciliam. Afri  
contra ipsum cccc. parauerunt.  
Nunquam in mari tantis copijs  
pugnatū est. Luctatius Catulus  
nauem æger ascendit: uulnera-  
tus enim in pugna superiore fu-  
erat. Contra Lilybæum ciui-  
tatem Siciliae pugnatum est in-  
genti uirtute Romanorum. nam  
lxxiiij. Carthaginensium naues  
captæ sunt, c. xxv demersæ, xxij.  
millia hostium capta, xiiij. mil-  
lia occisa: infinitum auri argen-  
ti que prædæ in potestatem Ro-  
manorum redactum. Ex clas-  
se Romanorū xij. naues submer-  
sæ. pugnatū est vi. idus Martias,  
statim

statim Carthaginenses pacem petierunt. tributa est eis pax: captiui Romanorum, qui tenebantur à Carthaginēsis, redditi sunt. Etiā Carthaginenses petierūt, ut redimi eos captiuos liceret, quos ex Afris Romani tenebant. Senatus iussit, sine precio dari eos qui in publica custodia essent: qui autē à priuatis tenerentur, ut precio dominis reddito, Carthaginē redirēt, atq; id preciū ex fisco magis q̄ à Carthaginēsis solueretur.

Quintus Lucretius, Aulus Manlius Cōs. creati, bellum Faliscis intulerunt: quæ ciuitas Italiæ opulenta quōdam fuit. quod ambo Cōs. intra sex dies quàm uenerāt, transegerunt. xv. millia hominū cæsa: pace concessa, agro tamen ex medietate sublato.

**F**inito igitur Punico bello, quod per xxij. annos factum est, Romani iam clarissima gloria noti, legatos ad Ptolomæum Aegypti regem miserunt, auxilia promittentes, quia rex Syriae Antiochus ei bellum intulerat. Ille gratias Romanis egit, auxilia non accepit: iam enim fuerat pugna transacta. Eodem tempore potentissimus rex Siciliae Hiero Romam uenit ad ludos spectandos, & ducēta millia modiorum tritici populo dono dedit.

Lucio Cornelio Lentulo, Fulvio Flacco Coss. quibus Hiero Romam uenerat, etiā cōtra Ligures intra Italiam bellum gestum est, & de his triumphatū est. Carthaginenses tamē bellū reparare  
tenta-



tentabant Sardinienſes qui ex  
 conditione pacis Romanis pare-  
 re debebant ad rebellandum im-  
 pellētes. Venit tamē legatio Car-  
 thaginēſium Romam, & pacē im-  
 petrauit. Tito Mālio Torquato,  
 Caio Attilio Balbo Coſs. de Sar-  
 dis triumphatū eſt: & pace omni-  
 bus locis facta, Romani nullū bel-  
 lū habuerūt. Quod his poſt Ro-  
 mam conditā ſemel tantū Numa  
 Pompilio regnante contigerat.

Lucius Poſthumius Albinus,  
 Fuluius Cneus Cētumalus Coſs.  
 bellū contra Illyricos gesserūt: &  
 multis ciuitatib. captis, etiā reges  
 in deditiōnē acceperunt. ac tum  
 primū de Illyricis triūphatū eſt.

Lucio Aemilio Coſ. ingentes  
 Gallorū copię Alpes tranſierūt:  
 ſed pro Romanis tota Italia cōſen-

fit, traditumq; est Fabio historico qui ei bello interfuit, d. ccc. milia hominum parata ad id bellū fuisse, sed res per Cos. tum prospere gesta est. xl. millia hostium interfecta sunt. & triumphus Aemilio decretus. Aliquot deinde annis post, cōtra Gallos intra Italiā pugnatū est. Finito bello, Marco Claudio Marcello, Cneo Cornelio Scipione Cofs. tū Marcellus cum parua manu equitū dimicauit, & regem Gallorū, Viridomarum nomine, manu sua occidit. Postea cum collega suo ingentes copias Gallorū peremit, Mediolanū expugnauit, grādem prēdā Romā pertulit, ac triūphās Marcellus spolia Gallorum stipiti imposita humeris suis uexit.

M. Minutio, P. Cornelio Cofs.

Histris

Histris bellum illatum est, quia  
latrocinati naues Romanorum  
fuerant, quę frumenta exhibebāt.  
perdomitiq̄ sunt omnes.

Eodem anno BELLVM PV-  
NICVM SECVNDVM Roma-  
nis illatū est per Hannibalē Car-  
thaginensiū ducē, qui Saguntum  
Hispaniæ ciuitatē, Romanis ami-  
cā, oppugnare aggressus est, agēs  
uicesimū ætatis annū, copijs con-  
gregatis cl. milliū peditū, & xx.  
milliū equitū. Huic Romani per  
legatos denūciauerūt ut bello ab-  
stineret. Is legatis parēre noluit.  
Romani etiā à Carthaginēsisib. pe-  
tierūt ut mādareēt Hānibali ne bel-  
lum cōtra socios populi Romani  
gereret. dura responsa à Cartagi-  
nensib. reddita. Sagūtini interea  
fame uicti sunt. captiōq̄ ab Hanni-  
bale,

bale ultimis poenis afficiuntur.  
Tum Publius Cornelius Scipio  
cum exercitu in Hispaniã profe-  
ctus est, Tiberius Sēpronius in  
Siciliã. bellũ Carthaginēsi. indi-  
ctum est. Hannibal relicto in Hi-  
spania fratre Hasdrubale, Pyre-  
nẽũ trãsit, Alpes adhuc in ea par-  
te inuias, sibi patefecit, traditur  
ad Italiam lxxx. millia peditũ, &  
xx. millia equitũ, septem & xxx.  
elephãtes adduxisse. Interea mul-  
ti Ligures & Galli Hannibali se  
coniunxerunt. Sēpronius Grac-  
chus cognito ad Italiam Hanni-  
balis aduentu, è Sicilia exercitum  
Ariminum traiecit. P. Cornelius  
Scipio Hannibali primus occur-  
rit, commisso prelio, fugatis suis,  
ipse uulneratus in castra redijt.  
Sempronius Gracchus & ipse  
d con-

confluxit apud Trebidiã. Is quoque uincitur. Hannibali multi se in Italia dediderunt. Inde ad Thusciam ueniens Hannibal, Flaminiõ consuli occurrit, ipsum Flaminiũ interemit, Romanorum xxv. milia cæsa sunt, cæteri diffugerunt. Missus aduersus Hannibalẽ postea à Romanis Quintus Fabius Maximus. Is cum differendo pugnam, ab impetu fregit, mox inuenta occasione uicit. Quingentesimo & quadragesimo anno à condita urbe, Lucius Aemilius, P. Terentius Varro contra Hannibalem mittuntur, Fabioq; succedunt: qui Fabius ambos Cõs. monuit, ut Hannibalem callidum & impatientẽ ducem non aliter uincerent, quàm prælium differendo. uerum cum impatientia

Var

Varronis Cos. contradicēte con-  
 fule altero, id est Aemilio Paulo,  
 apud uicū qui Cānæ appellatur,  
 in Apulia pugnātū esset, ambo  
 Cofs. ab Hānibale uincūtur. iiii.  
 millia Afrorum pereunt, magna  
 pars de exercitu Hannibalis sau-  
 ciatur: nullo tamen Punico bello  
 Romani grauius accepti sunt. pe-  
 rijt enim in eo Aemilius Paulus  
 Cos. Cōsulares aut Prætorij xx.  
 Senatores capti aut occisi xxx. no-  
 biliores uiri ccc. militum xl. mil-  
 lia, equitum iij. millia, & cccc. In  
 quibus malis nemo tamen Ro-  
 manorum pacis mentionem ha-  
 bere dignatus est. Serui q̄ nunc̄  
 antè, manumissi, & milites facti  
 sunt. Post eā pugnā multę Italiae  
 ciuitates quę Romanis paruerāt,  
 se ad Hannibalem transtulerūt.

Hannibal Romanis obtulit, ut captiuos redimeret: responsumque est à Senatu, eos ciues non esse necessarios, qui cum armati essent, capi potuissent. Ille omnes postea uarijs supplicijs interfecit, & tres modios aureorum annulorum Carthaginem misit, quos è manibus equitum Romanorum, Senatorum, & militum detraxerat. Interea in Hispania, ubi frater Hannibalis Hasdrubal remanserat cum magno exercitu, ut eam totam Afris subigeret, à duobus Scipionibus Romanis ducibus uincitur, perditque in pugna xxxv. millia hominum. ex his capiuntur x. millia, occiduntur xxv. Mittuntur ei à Carthaginensibus ad reparandas uires xij. millia peditum, iij. millia equitum, xx. elephanti. Anno quarto postquam

quam in Italiam Hannibal uenit, Marcus Claudius Marcellus Cos. apud Nolam, ciuitatē Campaniæ, contra Hannibalem bene pugnavit. Hannibal multas ciuitates Romanorū per Apuliam, Calabriā, & Brutios occupauit. Quo tempore etiam rex Macedonię Philippus ad eum legatos misit, promittens auxilia contra Romanos: hac conditione, ut deleris Romanis, ipse quoq; contra Gręcos ab Hannibale auxilia acciperet. Captis igitur legatis Philippi, & re cognita, Romani in Macedoniā Marcū Valeriū Leuinum ire iusserūt: in Sardiniam Titum Mālium Torquatū Proconsulem. nam etiam ea sollicitata ab Hānibale, Romanos deseruerat. Ita uno tēpore quatuor locis



pugnabatur, in Italia cōtra Hannibalē, in Hispania contra fratrem eius Hasdrubalē, in Macedonia cōtra Philippū, in Sardinia cōtra Sardos, & alterū Hasdrubalem Carthaginensem. Is à Tito Manlio procōsule, qui ad Sardiniam missus fuerat, uiuus est captus. occisa cum eo xij. millia, capti mille quingenti, & à Romanis Sardinia subacta. Manlius uictor captiuos & Hasdrubalē Romam reportauit. Interea etiam Philippus à Leuino in Macedonia uincitur, & in Hispania a Scipionibus Hasdrubal & Mago tertius frater Hannibalis. Decimo anno postquam Hannibal in Italiam uenerat, P. Sulpitio, Cneo Fuluio Cofs. Hannibal usque ad quartum milliarium urbis accessit,

cessit, equites eius usque ad portas, mox consulum metu cum exercitu uenientium, Hannibal ad Campaniam se recepit. In Hispania à fratre Hasdrubale ambo Scipiones, qui per multos annos uictores fuerant, interficiuntur. exercitus tamen integer mansit; casu enim magis quàm uirtute erant decepti. Quo tempore etiam à consule Marcello Sicilia magna pars capta est, quam tenere Africæperant: & nobilissimæ urbis Syracusanæ præda ingens Romanam perlata est. Leuius in Macedonia cum Philippo & multis Græciæ populis, & rege Asiæ Attalo amicitiam fecit: & ad Siciliam profectus, Annonem, quendam Afrorum ducem apud Agrigētum ciuitatem cum

ipso oppido cepit, eumq; Romã  
cum captiuis nobilibus misit, xl.  
ciuitates in deditiõnem accepit,  
xxvi. expugnauit. ita omni Sicilia  
recepta, Macedonia fracta, ingē-  
ti gloria Romam regressus est.  
Hannibal in Italia Cneum Ful-  
uium cõsulem subito aggressus,  
cum octo millibus hominum in-  
terfecit. Interea ad Hispanias, ubi  
occisis duobus Scipionibus nul-  
lus Romanus dux erat, Publius  
Cornelius Scipio mittitur, filius  
Publij Scipionis, qui ibidem bel-  
lũ gesserat, annos natus quatuor  
& xx. uir Romanorum omnium  
& sua ætate, & posteriori tem-  
pore ferè primus. Is Carthaginẽ  
Hispaniæ capit, in qua omne au-  
rum & argentum, & belli appa-  
ratũ Afri habebãt. nobilissimos  
quoq;

quoque obsides, quos ab Hispanis  
acceperat, Magonem etiam fra-  
trem Hannibalis ibi capit, quem  
Romam cum alijs mittit. Romæ  
ingens lætitia post hunc nuncium  
fuit. Scipio Hispanorum obsides  
parentibus reddidit. Quare om-  
nes ferè Hispaniæ ad eum uno ani-  
mo transierunt. Post quæ Hasdru-  
balem Hannibalis fratrem, uictum  
fugat, & prædam maximam ca-  
pit. Interea in Italia Cos. Q. Fa-  
bius Maximus Tarentum cepit,  
in qua ingentes copiæ Hannibalis  
erant. Ibi etiam ducem Hanniba-  
lis Carthagonem occidit, xxv. mil-  
lia captiuorum uendit, prædam  
militibus dispertit, pecuniam  
hominum ueditorum ad fiscum  
retulit. Tum multæ ciuitates Ro-  
manorum, quæ ad Hannibalem  
d 5 transie-

transierant, se Fabio Maximo dederunt. Insequenti anno Scipio in Hispania egregias res egit, & per se, & per fratrem suum Lucium Scipionem, lxx. ciuitates receperunt. In Italia tamen male pugnatum est. Nam Claudius Marcellus Cos. ab Hannibale occisus est. Tertio anno postquam Scipio ad Hispaniam profectus est, rursus res inclytas gerit: regem Hispaniarum magno praelio uictum, in amicitiam accepit, et primus omnium a uicto obsides non poposcit. Desperans Hannibal Hispanias contra Scipionem ducem posse retineri, fratrem suum Hasdrubalem in Italiam cum omnibus copiis euocauit. Is ueniens eodem itinere quo etiam Hannibal uenerat, a consulis Appio Claudio Nerone, et Marco Liuio Salinatore, apud Senam

Senam Piceni ciuitatē, in insidias  
cōpositas incidit: strenuè tamen  
pugnans, occisus est. ingētes eius  
copiæ captæ aut interfectę sunt.  
magnū pondus auri atq; argenti  
relatū. Post hæc Hānibal diffide-  
re de belli cœpit euētu, Romanis  
ingēs animus accessit. Itaq; et ipsi  
euocauerūt ex Hispania Publiū  
Cornelium Scipionē. Is Romam  
cum ingēti gloria uenit. Quinto  
Cæcilio, Lucio Valerio Cofs.  
omnes ciuitates quæ in Brutijs  
ab Hānibale tenebantur, Roma-  
nis se tradiderūt. Anno xiiij. post  
quàm in Italiã Hānibal uenerat,  
Scipio qui multa bene in Hispania  
egerat, consul est factus, & in  
Africã missus. Cui uiro diuinum  
quiddam inesse existimabatur:  
adeò ut putaretur etiã cū numini  
bus

bus habere sermonē. Is in Africa  
cōtra Annonē ducem Afrorum  
pugnauit, exercitum eius interfe-  
cit, secūdo prēlio castra cepit, cū  
quatuor millibus & quingentis  
militibus, xi. millibus occisis. Sy-  
phacem Numidiæ regem, qui se  
Afris cōiunxerat, capit, & castra  
eius inuadit. Syphax cū nobilissi-  
mis Numidis, & infinitis spolijs,  
ab Scipione Romā mittitur, qua-  
re audita, omnis ferè Italia Hanni-  
balē deserit, ipse à Carthaginensi-  
bus in Africam redire iubetur,  
quam Scipio uastabat. Ita anno  
xvii. ab Hannibale Italia liberata  
est, quā flēs dicitur reliquisse. Le-  
gati Carthaginensiū pacem à Sci-  
pione petierunt, ab eo ad Senatū  
Romā missi sunt, xlv. diebus his  
induciæ datæ sunt, quousq; Ro-  
mam

nam ire & regredi possent, xxx. millia pondo argenti ab his accepta sunt. Senatus ex arbitrio Scipionis pacem iussit cum Carthagenensibus fieri. Scipio his conditionibus dedit, ne amplius quàm xxx. naues haberent, l. millia pondo argenti darēt, captiuos & perfugas redderent. Interim Hannibale ueniente ad Africā, pax turbata est, multa hostilia ab Afris facta sunt; legati tamē eorum ex urbe uenientes, à Romanis capti sunt, & iubēte Scipione dimissi. Hannibal quoq; frequentib. precibus uictus à Scipione, petit etiam ipse pacem. Cum uētum esset ad colloquiū, ipsē cōditionib. data est, quibus prius, addita quingentis millibus pondo argenti, c. millia librarū propter nouam perfidiam.



diam, Carthaginē sibus conditio-  
nes displicuerūt, iusserūtq; Han-  
nibalem pugnare: sed infertur à  
Scipione, & Masinissa, alio rege  
Numidarū, qui amicitiam cum  
Scipione fecerat, Carthagini bel-  
lum. Hannibal tres exploratores  
ad Scipionis castra misit: quos ca-  
ptos Scipio circūduci per castra  
iussit, ostendiq; eis totum exerci-  
tum, mox etiam prandium dari,  
dimittiq; ut renunciarēt Hāniba-  
li quæ apud Romanos uidissent.  
Interea præliū ab utroq; duce in-  
structū est, quale uix ulla memo-  
ria fuit. Quum peritissimi uiri co-  
pias suas ad bellum educerent,  
Scipio uictor recedit penè ipso  
Hānibale capto: qui primū cum  
multis equitibus, deinde cū xx.  
postremo cū quatuor euasit. In-

uenta

uenta in castris Hānibalīs argēti  
 pondo cc. millia, auri octingēta,  
 cætera supellectilis copiosa. Post  
 id certamen pax cum Carthagi-  
 nēsis facta est, Scipio Romam  
 redijt, ingēti gloria triumphauit,  
 atque Africanus ex eo appellari  
 coeptus est. Finem accepit secun-  
 dum Punicum bellum, post an-  
 num xvij. quā coeperat.

## LIBER QVARTVS.

TRANSACTO Punico bello,  
 T secutū est Macedonicū con-  
 tra Philippū regē, l. & quingente  
 simo primo anno ab urbe cōdita,  
 T. Quintius Flaminius aduersus  
 Philippū regē mittitur, prospere  
 gefsit, pax ei data est his legibus,  
 ne Græciæ ciuitatibus, quas Ro-  
 mani contra eum defenderant,  
 bellum

bellum inferret, ut captiuos & transfugas redderet, l. solum naues haberet, reliquas Romanis daret, per annos decē quaterna millia pondo argenti præstaret, & obsidē daret filium suum Demetriū. T. Quintius Flaminius etiam Lacedæmonijs intulit bellum, ducem eorum Nauidem uicit: & quibus uoluit conditionibus, in fidem accepit. In gloriam duxit ante currum nobilissimos obsides, Demetrium Philippi filium, & Armenen Nauidis.

Transactō bello Macedonico, secutum est Syriacū contra Antiochum regem, P. Cornelio Scipione, Marco Attilio Glabrione Cofs. Huic Antiocho Hannibal se iunxerat, Carthaginē patriam suā, ne Romanis traderetur, relinquens.

linquens. Marcus Attilius Gla-  
 brio in Achaia pugnauit bene.  
 Castra regis Antiochi nocturna  
 pugna capta sunt. ipse fugatur.  
 Philippo, quia contra Antiochū  
 Romanis auxilio fuisset, filius De-  
 metrius redditus est. L. Corne-  
 lio Scipione, C. Lælio Cofs. Sci-  
 pio Africanus fratri suo Corne-  
 lio Scipioni consuli, legatus con-  
 tra Antiochū profectus est. Han-  
 nibal qui cum Antiocho erat, na-  
 uali prælio uictus est. Ipse postea  
 Antiochus, circa Sipylum, ma-  
 gnam iam Asię ciuitatem, à Cos.  
 Cornelio Scipione, ingēti prælio  
 fufus est. Auxilio fuit Romanis  
 in ea pugna Eumenes, Attali re-  
 gis frater, qui Eumeniã in Phry-  
 gia cōdidit. xxx. millia peditum,  
 iij. millia equitum eo certamine

ex parte regis occisa sunt. Tum rex Antiochus pacē iniit. Iisdem conditionibus data est à Senatu, quanq̃ uicto, quibus antè offerebatur, ut ex Europa & Asia recederet, atq̃ intra Taurū se cōtineret, x. millia talentorū, & xx. obli des prēberet, Hannibalē concitatorē belli dederet. Eumeni regi donatæ sunt omnes Asiæ ciuitates, quas Antiochus bello perdidit: & Rhodijs, qui auxiliū Romanis cōtra regē Antiochū tulerant, multę urbes concessæ sunt. Scipio Romā rediit, ingēti gloria triūphauit: nomē et ipse ad imitationē fratris Asiatici accepit, quia Asiam uicerat: sicut frater ipsius propter Africam domitā, Africanus appellabat̃. Spurio Posthumio Albino, Q. Martio Philippo, Cōs.

Cofs. Marcus Fuluius de Aetolis  
 triūphauit. Hānibal qui uicto An-  
 tiocho, ne Romanis traderet, ad  
 Prusiā Bithyniæ regē fugerat, re-  
 petitus etiā ab eo est per Titum  
 Quintiū Flaminiū: & cū traden-  
 dus esset Romanis, uenenū bibit,  
 & apud Libyssam in finib. Nico-  
 medensiū sepultus est. Philippo  
 rege Macedonię mortuo, qui &  
 aduersum Romanos bellū gesse-  
 rat, & postea Romanis cōtra An-  
 tiochū auxiliū tulerat, filius eius  
 Perseus ī Macedonia rebellauit,  
 ingentib. copijs ad bellū paratis.  
 Nam adiutores habebat Cotyn  
 Thraciæ regē, Illyrici regē Gen-  
 tiū nomine. Romanis aut in auxi-  
 liū erāt Eumenes Asię rex, Ariar-  
 tes Cappadocię, Antiochus Syri-  
 ę, Ptolemęus Aegypti, Masinissa

Numidiæ. Prusias autem rex Bithyniæ, quanq̃ sororem Persei uxore haberet, utrisq̃ se æquum præbuit. dux Romanorū P. Licinius Cos. & à rege graui prælio uictus: neq̃ tamē Romani quam superati, regi petēti pacem præstare uoluerūt, nisi his cōditionibus, ut se & suos Senatui & populo Rom. dederet. Mox missus contra eū Lucius Aemilius Paulus Cos. & in Illyricū C. Anitius prætor cōtra Gentiū. sed Gētius facile uno prælio uictus, mox se dedidit. Mater eius & uxor & filij, frater quoq̃ eius simul in potestate Romanorū uenerūt. Ita bello intra dies xxx. perfecto, antè cognitū est Gentiū uictū, q̃ cœptū bellū nūciaretur. Cū Perseo aut Aemilius Paulus Cos. tertio nonas

nonas Septembris dimicauit, uic-  
titq; eū, xx. millibus peditū eius  
occisis, equitatus cum rege fugit  
integer. Romanorum c. milites  
amissi sunt; urbes Macedoniæ  
omnes quas rex tenuerat, Roma-  
nis se dediderūt. ipse rex cū dese-  
reretur ab amicis, uenit in Pauli  
potestatē: sed honorem ei Aemi-  
lius non quasi uicto habuit. nam  
& uolentem sibi ad pedes cadere  
nō permisit, & iuxta se in sella col-  
locauit. Macedonibus et Illyricis  
hæc leges datæ sunt, ut liberi essent,  
& dimidium eorum tributorum  
præstarent, quæ regibus præsti-  
tissent, ut appareret Populū Ro-  
manū pro æquitate magis quàm  
auaritia dimicare. Itaq; in cōuen-  
tu infinitorum populorum Pau-  
lus hæc pronunciauit, & legatio-



nes multarum gentium, quæ ad  
eū uenerāt, magnificētissimo cō-  
uiuio pauit, dicens, Eiusdē homi-  
nis esse debere, & bello uincere,  
& cōuiuij apparatu elegātē esse.  
Mox septuaginta ciuitates Epiri  
quæ rebellarant, cepit: prædā mi-  
litibus distribuit, Romā cum in-  
genti pōpa redijt: in naue Persei,  
quæ inusitatæ magnitudinis fuisse  
traditur, adeò ut xvi. ordines ha-  
buisse dicatur remorū, triumphauit  
magnificētissimè in curru au-  
reo cum duobus filijs utroq; la-  
tere astantibus. ducti sunt ante  
currū duo regis filij, & ipse Per-  
seus xlv. annos natus. Post eum  
etiam C. Anitius de Illyricis tri-  
umphauit, Gētius cum fratre &  
filijs ante currum ductus est. Ad  
hoc spectaculum multarum gen-  
tium

tium reges Romam uenerunt, inter alios etiam uenit Attalus atq; Eumenes Asiæ reges, atq; Prusias Bithyniæ magno honore accepti sunt. Permittente Senatu, dona quæ attulerant, in Capitolio posuerunt. Prusias etiã filium suum Nicomedem Senatui commendauit. Insequenti anno Lucius Memmius in Hispania bene pugnauit. Marcellus postea consul res ibidem prosperè gessit.

TERTIVM deinde bellũ contra Carthaginẽ suscipitur, dc. & altero anno ab urbe condita, L. Manlio Cæsarino, & Marco Manilio Cofs. anno li. postq; secũdũ Punicũ bellũ transactũ erat. Hi profecti Carthaginem expugnauerunt. Contra eos Hasdrubal dux Carthaginensũ dimicabat.

Famea dux alius equitatus præerat Carthaginensium. Scipio tunc Scipionis Africani nepos tribunus ibi militabat, huius apud omnes ingens metus & reuerentia erat. Nam & paratissimus ad dimicandum, & consultissimus habebatur. Itaque per eum multa prosperè à Cos. gesta sunt. Neque quicquam magis uel Hasdrubal uel Famea uitabant, quàm contra eam Romanorum partem committere, ubi Scipio dimicabat. Per idem tempus Masinissa rex Numidarum, per annos sexaginta ferè amicus populi Romani, anno uitæ suæ xcviij. mortuus est, xliiij. filijs relictis. Scipionem diuisorem regni inter filios esse iussit. Cũ igitur clarũ Scipionis nomen esset, iuuenis adhuc Cos. est

est factus: & cōtra Carthaginem missus, eam cepit, ac diruit. spolia ibi inuenta, quæ de uariarum ciuitatum excidijs Carthago collegerat: & ornamenta urbium ciuitatibus Siciliae, Italiae, Africae reddidit: quæ sua recognoscebant. Ita Carthago septuagesimo anno quàm condita erat, deleta est. Scipio nomē quod auus eius acceperat, meruit, scilicet ut propter uirtutem etiam ipse Africanus iunior uocaretur.

Interim in Macedonia quidam pseudophilippus arma mouit: et Romanum prætorem Publium Iuencium contra se missum, ad internecionē uicit. Post eum Q. Cæcilius Metellus dux à Romanis cōtra pseudophilippū missus est: & uiginti quinque millibus

ex militibus eius occisis, Macedonia recepit. Ipsum etiã pseudophilippũ in potestatem suam redegit.

Corinthijs quoq; bellũ indictũ est, nobilissimæ Græciæ ciuitati, propter iniuriam legatorum Romanorũ. Hanc Mummius cepit, ac diruit. Tres igitur Romæ simul celeberrimi triũphi fuerũt: Africani, ex Africa: ante cuius currum ductus est Hasdrubal. Metelli, ex Macedonia: cuius currum præcessit Andriscus, qui & pseudophilippus. Mũmij, ex Corintho: ante quem signa ænea & pictæ tabulæ, & alia urbis clarissimæ ornamenta prælata sunt. Iterum in Macedonia pseudoperseus, qui se Persei filium esse dicebat, collectis seruis, rebellauit.

uit. & cum septendecim armatorum millia haberet, à Trebellio questore superatus est. His diebus Androgynus Romæ uisus, iussu aruspicum in mare merfus est. Eodem tempore Metellus in Celtiberia apud Hispanos res egregias gessit. Successit ei Quintus Pompeius, nec multo post Quintus quoque Cepio ad idem bellum missus est, quod quidem Viriatus contra Romanos in Lusitania gerebat. Quo metu Viriatus à suis interfectus est, cum quatuordecim annos Hispanias aduersum Romanos mouisset. pastor primò fuit, mox latronum dux; postremò tantos ad bellum populos concitauit, ut assertor contra Romanos Hispaniæ putaretur.

Cum

Cum interfectores eius præmiũ à Scipione consule peterent, responsum est, nunquam Romanis placuisse, imperatores à suis militibus interfici.

Quintus Pompeius deinde cõsul à Numantinis, quæ Hispaniæ ciuitas fuit opulētissima, superatus, pacem ignobilem fecit. Post eum Caius Hostilius Mancinus Cos. iterum cum Numātinis pacem fecit infamem, quã Pop. & Senatus iussit infringi, atq; ipsum Mancinum hostibus tradi: ut in illo quem auctorem fœderis habebant, iniuriam soluti fœderis uindicarent. Post tantam igitur ignominiam, qua à Numantinis bis Romanus exercitus fuerant subiugati, Publius Scipio Africanus secundo Consul factus, &  
ad

ad Numantiam missus est. Is primum militem uitiosum & ignauium exercendo magis quam puniendo, sine aliqua acerbitate correxit. Tum multas Hispaniæ ciuitates partim cepit, partim in deditiōem accepit. Postremò ipsam Numantiam diu obsesam, fame uicit, & è solo euertit: reliquam prouinciam in fidem accepit. Eo tempore Attalus rex Asiæ, frater Eumenis, mortuus est, hæredemque Populum Romanum reliquit. ita imperio Romano per testamētum Asia accessit. Mox etiam Decimus Iunius Brutus de Gallicijs & Lusitanis triumphauit magna gloria. & Publius Scipio Africanus de Numantinis secundum triumphum egit xiiij. anno post



postq̄ priorē de Africa egerat.

Motū interea in Asia bellum est ab Aristonico Eumenis filio, qui ex concubina susceptus fuerat. Is Eumenis frater Attali fuerat. Aduersus eum missus est Licinius Crassus, infinita regum habens auxilia. Nam & Bithyniæ rex Nicomedes Romanos iuuit: & Mithridates Ponticus, cum quo postea bellū grauisimum fuit: & Ariarathes Cappadox, & Pylemenes Paphlagon: uictus est tamen Crassus in prælio, & interfectus. caput Aristonico oblatum est, corpus Smyrnæ sepultum. Postea Perpenna consul Romanus, qui successor Crasso ueniebat, audita belli fortuna, ad Asiam celerauit: & acie uictum Aristonicum, apud Stratonice

tonicen ciuitatem, quò fugerat, fame ad deditiōem compulit. Stratonicus iussu Senatus, in carcere strangulatus: triumphari enim de eo nō poterat, quia Perpenna apud Pergamū rediens, diem obierat.

Lucio Cæcilio Metello, & Tito Quintio Flaminio Cōs. Carthago in Africa iussu Senatus reparata est, quæ nunc manet. Annis duobus & uiginti, postquam à Scipione fuerat euerfa, deducti eò sunt ciues Romani.

Anno dc. xxvij. ab urbe condita, Caius Cassius Longinus, & Sextus Domitius Caluinus cōsules, Gallis Transalpinis bellum intulerunt, & Aruernorum nobilissimæ tum ciuitati,

atq;

atq; eorum duci Bituito, infini-  
tamq; multitudinem iuxta Rho-  
danum fluuium interfecerunt.  
Præda ex torquibus Gallorum  
Romam perlata est. Bituitus se  
Domitio dedit, atq; ab eo Ro-  
mam deductus est, magnaq; glo-  
ria Consules ambo triumphau-  
erunt.

Marco Portio Catone, &  
Quinto Marcio rege Cofs. de  
xxx. anno & tertio ab urbe con-  
dita, Narbona in Gallia colonia  
deducta est. Annoq; eodem à L.  
Metello, & Quinto Mutio Scæ-  
uola Cofs. de Dalmatia trium-  
phatum est.

Ab urbe condita anno dc.  
xxxv. Caius Cato consul Scor-  
discis intulit bellum, ignominio-  
seq; pugnavit.

C. Cæ

C. Cæcilio Metello, & Cneo Carbone Cofs. duo Metelli fratres eodem die alterum ex Africa, ex Sardinia alterum triumphum egerunt. Nunciatum que Romæ est, Cymbros è Callia in Italiam transisse.

P. Scipione Nasica, & L. Calphurnio Bestia Cofs. Iugurthæ Numidarum regi bellum illatum est, quòd Adherbalem & Hiempsalem, Micipsæ filios, fratres suos, reges, & P. R. amicos interemisset. missus aduersus eum Cos. Calphurnius Bestia, corruptus regis pecunia, pacem cum eo flagitiosissimam fecit, quæ à Senatu improbata est. Postea contra eundem insequenti anno Spurius Albinus Posthumus profectus est. Is quoque

f per

per fratrem ignominiose contra Numidas pugnauit. tertio missus Quintus Cæcilius Metellus consul, exercitum ingenti seueritate & moderatione correctum, cum nihil in quenquam cruentum faceret, ad disciplinam Romanam reduxit. Iugurtham uarijs prælijs uicit, elephantos eius occidit, uel cepit. Et cum iam bello finem positurus esset, successum est ei à C. Mario.

Is Iugurtham, & Bocchum Mauritanix regem, qui auxilium Iugurthæ ferre coeperat, pariter superauit. Aliquanta ei oppida Numidiæ cepit, belloque terminum posuit: capto Iugurtha per quæstorem suum Cornelium Syllam, ingentem uirum, tradente Boccho Iugurtham, qui  
pro

pro eo antè pugnauerat.

A Marco Iunio Syllano, collega Quinti Metelli, Cymbri in Italia uicti sunt, & à Minutio Rufo in Macedonia Scordisci & Triballi, & à Seruilio Cepione in Hispania Lusitani subacti sunt. Et duo triūphi de Iugurtha, primus per Metellum, secūdus per Marium acti sunt. ante currum tamē Marij Iugurtha cum duobus filijs ductus est cathenatus.

#### LIBER QVINTVS.

**D**VM bellum in Numidiā contra Iugurtham geritur, Romani consules Marcus Manilius & Quintus Cepio à Cymbris & Teutonibus & Tigurinis & Ambronibus, quæ erant Germanorum & Gallorum

f 2 gentes,

gentes uicti sunt iuxta flumen Rhodanum: & ingenti interne-  
cione attriti, etiam castra sua &  
magnam partem exercitus per-  
diderunt. Timor Romæ gran-  
dis fuit, quantum uix Hanniba-  
lis tempore Punicis bellis, ne ite-  
rum Galli Romam uenirent.

Ergo Marius post uictoriam lu-  
gurthinam secundo Cos. est fa-  
ctus, bellum que ei contra Cym-  
bros & Teutones decretum est.  
Tertio quoque ei & quarto dela-  
tus est cōsulatus: quia bellū Cym-  
bricū protrahebatur. sed in quar-  
to consulatu collegam habuit  
Quintum Lucratium Catulum.  
cum Cymbris itaque conflixit,  
& duobus prælijs cc. millia ho-  
stium cæcîdit. lxxx. millia cepit,  
et ducem eorū Theutobodum.

propter

propter quod meritum absens  
 quinto Cos. est factus. Interea  
 Cymbri & Teutones, quorum  
 copia adhuc infinita erat, ad I-  
 talem transierunt. Iterum à  
 Caio Mario & Quinto Catu-  
 lo contra eos dimicatum est: sed  
 à Catuli parte foelicius. Nam  
 eo prælio quod simul ambo ges-  
 serunt, c. xl. millia aut in pugna,  
 aut in fuga, cæsa sunt, lx. millia  
 capta. Romani milites ex u-  
 troque exercitu † trecenti perie-  
 runt. Tria & triginta signa  
 Cymbris sublata sunt. ex his ex-  
 ercitus Marij duo reportauit,  
 Catuli exercitus xxx. & unum.  
 Is belli finis fuit, triumphus utriq;  
 decretus est.

*Aliàs I H. id  
 est, ter mille:  
 quod est ue-  
 rificius.*

Sexto Iulio Cæsare, & L. Mar-  
 cio Philippo Cos. dc. 1. anno



ab urbe condita cum propè alia omnia bella cessarent, in Italia grauiſſimum bellum, Picentes, Marſi, Peligni que mouerunt.

Qui cum annis numerosis iam Pop. Rom. obedirent, tum libertatem ſibi æquam aſſerere cœperunt. Pernicioſum admodum hoc bellum fuit. P. Rutilius conſul in eo bello occiſus eſt:

Cepio nobilis iuuenis & Porcius Cato alius, Coſs. Duces autem aduerſus Romanos Picentibus & Marſis fuerunt, Titus Vietius, Hierus Aſinus, Titus Legennius, Aulus Cluentius. A Romanis bene contra eos pugnatum eſt, à C. Mario, qui ſexies conſul fuerat: & à Cneo Pompeio: maxime tamen à Lucio Cornelio Sylla, qui inter

ter alia facta egregia ita Cluentium, hostium ducem, cum magnis copijs fudit, ut ex suis nec unum amitteret. Quadriennio, cum graui tamen calamitate, hoc bellum tractum est. Quinto demum anno finem accepit per Lucium Cornelium Syllā Cos. cum antea in eodē bello ipse multa strennue prætor gessisset.

Anno urbis conditæ dc. lxxij. primum Romæ bellum ciuile commotum est: eodem anno etiam Mithridaticum. Causam bello ciuili sexies Cos. dedit. Nam cum Sylla consul contra Mithridatem gesturus bellum, qui Asiam & Achaiam occupauerat, mitteretur: is que exercitum in Campania paulisper teneret, ut belli socialis

(de quo diximus) quod intra Italiam gestum fuerat, reliquiæ tollerentur, Marius affectavit, ut ipse ad bellum Mithridaticum mitteretur. Quare Sylla commotus, cum exercitu ad urbem venit. Illic contra Marium & Sulpitiū dimicavit. primus urbem Romam ingressus est, Sulpitiū interfecit, Marium fugavit, atque ita Coss. ordinatis futuro anno, Cneo Octavio, et L. Cornelio Cinna, ad Asiam profectus est. Mithridates enim qui Ponti rex erat, atque Armeniam minorem, & totum Ponticum mare in circuitu cum Bosphoro tenebat, primò Nicomedem amicū P. R. Bithynia uoluit expellere: Senatuicq; mandavit, bellum se ei propter iniurias quas passus

passus fuerat, illaturum. à Senatu responsum est, Mitridati si id faceret, quod & ipse bellum à Romanis pateretur. Quare iratus, Cappadociam statim occupavit, & ex ea Ariobarhanem regem & amicum populi Romani fugavit. Mox etiam Bithyniam inuasit, & Paphlagoniam, pulsus ex ea regibus, amicis Pop. Rom. Pylemene & Nicomede. inde ad Ephesum contendit: & per omnem Asiam literas misit, ut ubicunq; inuenti essent ciues Romani uno die occiderentur. Interea etiam Athenæ ciuitas Achaiaë ab Aristone Atheniensi Mitridati tradita est. Miseratenim iam ad Achaïam Mitridates Archelaum ducem suum, cum c. xx. millibus equitum

ac peditum: per quem etiam reliqua Græcia occupata est. Sylla Archelaum apud Piræum non lōge ab Athenis obsedit, ipsamq̄ urbem cepit. postea commisso prælio cōtra Archelaum, ita eum uicit, ut ex cxx. millibus uix decem superessent Archelao, & de Syllæ exercitu xiiii. tantum homines interficerentur. Hac pugna Mithridates cognita, lxx. millia lectissima ex Asia Archelao misit. contra quem Sylla iterum commisit. Primo prælio uiginti millia hostium interfecta sunt, filiusque Archelai Diogenes: secundò omnes Mithridatis copiæ extinctæ sunt: Archelaus ipse triduò nudus in paludibus latuit. Hac re audita Mithridates, cum Sylla de  
pace

pace agere coepit. Interim eo tempore Sylla etiam Dardanos, Scordiscos, Dalmatas & Moesos partim uicit, alios in fidem accepit. Sed cum legati à rege Mithridate qui pacem petebant, uenissent, non aliter se daturum Sylla esse respondit, nisi rex relictis his quæ occupauerat, ad regnum suum redisset. Postea tamen ad colloquium ambo uenerunt. pax inter eos ordinata est, ut Sylla ad bellum ciuile festinans, à tergo periculum non haberet. Nam dum Sylla in Achaia atque Asia Mithridatem uicit, Marius qui fugatus erat, & Cornelius Cinna unus ex consulibus, bellum in Italia repararunt: & ingressi urbem Romam, nobilissimos ex Senatu & Con

& Consulares uiros interfece-  
runt, multos proscripserunt: ipsi-  
us Syllæ domo euerfa, filios &  
uxorem in fugam compulerunt.  
uniuersus reliquus Senatus ex  
urbe fugiens, ad Syllam in Græ-  
ciam uenit, orans ut patriæ sub-  
ueniret. Ille in Italiam traiecit,  
bellum ciuile gesturus aduer-  
sus Norbanum & Scipionem  
Cofs. & primo prælio cōtra Nor-  
banum dimicauit, non longe à  
Capua. tū vñ. millia eius cæcīdit,  
vi. millia cepit. c. xxiiij. suorum  
amisit. Inde etiam se ad Scipio-  
nem conuertit, & ante prælium  
totum eius exercitum sine sangui-  
ne in deditiōem accepit. sed cū  
Romæ mutati consules essent,  
& Marius, Marij filius, ac Papy-  
rius Carbo, consulatum accepit  
sent,

ſent, Sylla contra Marium iunio-  
rem dimicauit: & xx. millib. eius  
occifis, iij. millia de ſuis pdidit.  
Mox etiam urbem ingreſſus.

Marium, Marij filium, Præneste  
perſecutus, obſedit, & ad mortē  
compulit. Rurſus pugnam gra-  
uiſſimam habuit contra Lampo-  
nium & Carinatem duces par-  
tis Marianæ ad portam Collinā.  
lxx. millia hoſtium in eo prælio  
contra Syllam fuiſſe dicuntur.  
xij. millia ſe Syllæ dediderunt.

Cæteri in acie, in caſtris, in fuga,  
inſatiabili ira uictoris conſum-  
pti ſunt. Cneus quoque Car-  
bo Cos. alter, ab Arimino ad Si-  
ciliam fugit, & ibi per Cneum  
Pompeium interfectus eſt: quem  
adoleſcentem Sylla annos unum  
et xx natū, cognita eius induſtria,  
tradi-



traditis exercitibus præfecerat,  
ut secundus à Sylla haberetur.

Occiso ergo Carbone, Pompeius Siciliam recepit. Transgressus inde ad Africam, Domitium Marianæ partis ducem, & Hiarbam regem Mauritaniæ, qui Domitio auxilium ferebat, occidit. Posthæc Sylla de Mithridate ingenti gloria triumphauit.

Cneus etiam Pompeius quod nulli Romanorum tributum erat, quartum et xx. annum agens, de Africa triumphauit. Hunc finem habuerunt duo bella funestissima, Italicum quod est Sociale dictum: & ciuile. quæ ambo tracta sunt per annos decē. consumpserunt ultra cl. millia hominum, uiros consulares xxiiiij. prætorios vij. ædilitios lx. senatores ferè ccc.

**M**ARCO Aemilio Lepido,  
Quinto Catulo cōsulibus,  
cum Sylla Rempublicam com-  
posuisset, bella noua exarserunt:  
unum in Hispania, aliud in Pam-  
philia & Sicilia, tertium in Ma-  
cedonia, quartum in Dalmatia.  
Nam Sertorius, qui partium Ma-  
rianarum fuerat, timens fortu-  
nam eorum qui interempti erāt,  
ad bellum commouit Hispanias.  
Missi sunt contra eum duces,  
Quintus Cæcilius Metellus, fi-  
lius eius qui Iugurtham uicit:  
& Lucius Domitius prætor.  
A Sertoriū duce Herculeo Do-  
mitius occisus est. Metellus  
uario successu contra Sertori-  
um dimicauit. Postea cum im-  
par pugnæ solus Metellus puta-  
retur,

retur: Cneus Pompeius ad Hispanias missus est. ita duobus du-  
 cibus, aduersus Sertorium for-  
 tuna uaria sæpe pugnavit. O-  
 ctavo decimo anno à suis occi-  
 sus est. & finis ei bello datus est  
 per Cneum Pompeiũ adolescen-  
 tem, & Quintũ Metellũ Pium,  
 atq; omnes prope Hispaniæ in de-  
 ditionem Po. Ro. redactę sunt.

Ad Macedoniam missus est  
 Appius Claudius. post consula-  
 tum leuia prælia habuit, contra  
 uarias gentes, quæ Verodopam  
 prouinciã incolebãt. atq; ibi mor-  
 bo mortuus est. Missus ei suc-  
 cessor Cneus Stribonius Curio  
 post consulatum. is Dardanos ui-  
 cit, & usq; ad Danubium penetra-  
 uit, triumphumq; meruit, et intra  
 triennium finem bello dedit.

Ad

Ad Ciliciam & Pamphiliam missus est P. Seruilius ex consule uir strenuus. Is Ciliciam subegit, Lyciæ urbes clarissimas oppugnauit, & cepit. In his Phaselidem, Olympum, Coricum Ciliciæ, Isauros quoque aggressus, in deditiōem coëgit, atq; intra triennium bello finem dedit. Primus omnium Romanorum in Isauriam iter fecit. Reuertens triumphum accepit, & nomen Isaurici meruit.

Ad Illyricum missus est Cneus Cosconius Proconsul, multam partem Dalmatiæ subegit, Salonas cepit: & cōposito bello, Romam post biennium rediit.

Isdem tēporibus, consul Marcus Aemilius Lepidus, Catuli collega, bellum ciuile uoluit com

g moue-

mouere: intra tamen unam æstatem nixus eius oppressus est. Ita uno tempore multi simul triumphauerunt: Metelli, ex Hispania: Pompeij, secundus ex Hispania: Curio, ex Macedonia: Seruilij, ex Isauria.

Anno urbis cōditę dc. lxxvi. L. Licinio Lucullo, et Marco Aurelio Cotta Cofs. mortuus Nicomedes rex Bithynię, ex testamento populum Romanum fecit hæredem. Mithridates pace rupta, Bithyniam & Asiam rursus uoluit inuadere. Aduersus eum ambo consules missi, uariam habuerunt fortunam. Cotta apud Chalcedonem uictus, ab eo acie etiam intra oppidū coactus est, & obsessus. Sed cum se inde Mithridates Cyzicum transtulisset, ut Cyzico

zico capta, totam Asiam inuaderet, Lucullus ei alter consul occurrit: ac dum Mithridates in obsidione Cyzici moratur, ipse eum à tergo obsedit, fameque consumpsit, & multis prælijs uicit. Postremò Byzantium (quæ nunc Constantinopolis est) fugauit, nauali quoq; prælio duces eius Lucullus oppressit. Ita una hyeme & æstate, à Lucullo centum ferè millia hominū ex parte regis extincta sunt.

Anno urbis Romę dc.lxxviij. Macedoniam prouinciam M. Licinius Lucullus accepit, consobrini eius, qui contra Mithridatem bellum gerebat. Et in Italia nouum bellum subitò commotum est. lxx. enim & quatuor gladiatores, ducibus Sparthaco,

Chryso, & Oenomāno, effracto  
 Capuæ ludo effugerunt; & per  
 Italiam uagātes, penè non leuius  
 bellum in ea quàm Hānibal mo-  
 uerunt. nam multis ducibus, &  
 duobus simul Romanorum con-  
 sulibus uictis, sexaginta ferè mil-  
 lium armatorum exercitum con-  
 gregauerūt: uictiꝫ sunt in Apu-  
 lia à M. Licinio Crasso procon-  
 sule. & post multas calamitates  
 Italiae, tertio anno, bello huic fi-  
 nis imponitur.

Sexcentesimo octogesimo &  
 primo urbis conditæ anno, Cor-  
 nelio Lentulo, & Cneo Aufidio  
 Oreste Cofs. duo tantum grauiā  
 bella in imperio Romano erant,  
 Mithridaticū & Macedonicum;  
 hæc duo Luculli agebant, L. Lu-  
 cullus & M. Lucullus, L. ergo  
 Lucul-

Lucullus post pugnam Cyzice-  
nam, qua uicerat Mithridatem  
& naualem, qua duces eius op-  
prefferat, persecutus est eum: &  
recepta Paphlagonia atq; Bithy-  
nia, etiam regnum eius inuasit. Si-  
nopen & Amyson, ciuitates Pon-  
ti bellicosissimas, cepit. secundo  
prelio apud Gabyra ciuitatē, que  
ingentes copias ex omni regno  
adduxerat Mithridates, cū xxx.  
millia lectissima regis, à quinque  
Romanorum millibus uastata  
essent, Mithridates fugatus, &  
castra eius direpta. Armenia  
quoq; minor, quam tenuerat, ei-  
dem sublata est: susceptus tamen  
est Mithridates post fugam à Ti-  
grane Armenię rege, qui tum in-  
genti gloria imperabat: Persas se-  
pe uicerat, Mesopotamiam oc-



cupauerat, & Syriam, & Phœnicis partem. Ergo Lucullus repertens hostem fugatum, etiam regnum Tigranis, qui Armenijs imperabat, ingressus est. Tigranocertam, ciuitatem Armeniæ nobilissimã, cepit. Ipsum regem cum sexcentis millibus clybanariorum, & centum millibus sagittariorum & armatorum uenientem, octodecim millia militũ habens, ita uicit, ut magnã partem Armeniorum deleuerit. Inde Nisibin profectus, eam quoque ciuitatem cum regis fratre cepit. Sed hi quos in Ponto Lucullus reliquerat, cum exercitus parte, ut regiones uictas iam Romanorum tuerentur, negligenter se & auarè agentes, occasione iterum Mithridati in Pontũ irrumpen-

di dederunt, atq; ita bellum renouatum est. Lucullo parati, capta Nisibi, contra Persas expeditionem, successor est missus. Alter Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis Romanorum primus intulit bellum, atq; eos ingenti praelio in Hæmo monte superauit. oppidum Vscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die quo aggressus est, uicit: Cabylen cepit, usque ad Danubium penetrauit. Inde multas super Pontum positas ciuitates aggressus est. Illic Apolloniam euertit, Calatim, Parthenopolim, Tomos, Histrum, Buciam omnem cepit: belloq; confecto, Romam redijt. ambo tamen triumphauerunt: Lucullus qui contra Mithridatem pugauerat,

maiori gloria cum tantorum re-  
gnorum uictor rediisset. Confe-  
cto bello Macedonico, manente  
Mithridatico, quod recedente  
Lucullo, rex collectis auxilijs re-  
parauerat, bellum Creticum or-  
tū est. ad id missus Cæcilius Me-  
tellus, ingentibus prælijs intra  
triennium omnem prouinciam  
cepit, appellatusq; est Creticus,  
atq; ex insula triumphauit. Quo  
tempore Libya quoq; Romano  
imperio per testamentum Ap-  
pionis, qui rex eius fuerat, acces-  
sit: in qua inclytæ ciuitates erant,  
Berenice, Ptolemis, & Cyrene.

Dum hæc geruntur, piratæ  
omnia maria infestabant, ita ut  
nauigatio Romanis toto orbe ui-  
ctoribus, sola tuta nō esset. Qua-  
re id bellum Cneo Pompeio de-  
cretum

cretum est: quod intra paucos  
 meses ingenti fœlicitate & cele-  
 ritate confecit. Mox ei delatum  
 bellum etiam contra Mithrida-  
 tem regem: quo suscepto, Mi-  
 thridatem in Armenia minore,  
 nocturno tempore, prælio ui-  
 cit, castra diripuit: quadraginta  
 millibus eius occisis, triginta tan-  
 tum de exercitu suo perdidit, &  
 duos centuriones. Mithridates  
 cum uxore fugit, duobus comi-  
 tibus. Neque multo post, cum  
 in suos fœuïret, Pharnacis filij sui  
 instinctu, militum seditione ad  
 mortem coactus, uenenum hau-  
 sit. Hunc finem habuit Mithri-  
 dates, periit autẽ apud Bospho-  
 rum, uir ingentis industriæ con-  
 silijq̃. Regnauit annos quadra-  
 ginta, uixit septuaginta duobus.

Tigrani deinde Pompeius bellum intulit. ille se ei dedit, & in castra Pompeij sextodecimo milionario ab Artaxata uenit: ac diadema suū, cum procubisset ad genua Pompeij, in manus eius collocauit. quod ei Pōpeius reposuit, honorificēq; eum habitum, regni tamen parte multauit, & grandi pecunia. adempta est & Syria, Phœnice, Sophene. Sex millia præterea talentorū argenti, quæ populo Romano daret, quia bellum sine causa Romanis commouisset.

Pompeius mox etiam Albanis bellum intulit, & eorum regem, Orodem scilicet, prudēter uicit: postremò per epistolas & munera rogatus, ueniā ei ac pacē dedit. Iberiæ quoque regem Arthacen uicit

uicit acie, & in deditiōe accepit. Armeniam minorem Deiotaro Gallaciæ regi donauit, quia focus belli Mithridatici fuerat. Attalo & Pylemeni Paphlagoniã dedit. Aristarchum Colchis regem imposuit, mox Ituræos & Arabes uicit: & cum uenisset in Syriam, Seleuciam uicinam Antiochiæ ciuitatem, libertate donauit, quòd regem Tigranem non recepisset. Antiochensibus obsides reddidit: aliquantum agrorum Daphnēsis dedit, quo locus ibi spaciosior fieret, delectatus amoenitate loci, & aquarum abundantia. Inde ad Iudæam transgressus, Hierosolymam caput gentis tertio mense cepit: duodecim millibus Iudæorū occisis, cæteris in fidem acceptis.

His

His gestis, in Asiam se recepit, & finem antiquissimo bello dedit.

Marco Tullio Cicerone, & Cneo Antonio Coss. anno ab urbe condita dc. lxxxix. Lucius Sergius Catilina, nobilissimi generis uir, sed ingenij prauissimi, ad delendam patriam cōiurauit, cum quibusdam claris quidem, sed audacibus uiris. A Cicerone urbe expulsus est. Socij eius deprehensi, in carcere strangulati sunt. Ab Antonio, altero cōsule, Catilina ipse prælio uictus est, & interfectus.

Sexcentesimo nonagesimo anno ab urbe condita, D. Junio Syllano, & L. Murena Coss. Metellus de Creta triumphauit, Pompeius de bello piratico et Mithridatico. Nulla unquã pompa triumphi

umphū similis fuit. ducti sunt ante eius currum filij Mithridatis, filij Tigranis, Aristobolus rex Iudæorum. prælata est ingens pecunia, auri atq; argenti infinitū pondus. Hoc tēpore nullum per orbem terrarum graue bellū erat.

Anno urbis cōditæ dc. xcviij. Caius Iulius Cæsar, qui postea imperauit, cum L. Bibulo consul est factus. decreta est ei Gallia, & Illyricū legionibus decem. Is primò uicit Heluetios, qui nunc Sequani appellātur: deinde uincendo per bella grauissima, usq; ad Oceanum Britannicum accessit. Domuit autem annis ferè ix. omnem Galliam, quæ inter Alpes, flumē Rhodanum, Rhenum, & Oceanū est, & circuitu patet ad bis tricies centena millia passuū.  
Britan-



Britannis mox bellū intulit, quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat. & eos quoque uictos, obsidibus acceptis, stipendiarios fecit. Gallie autem tributi nomine annum imperauit sestertium quadringentes: Germanosque trans Rhenum aggressus, immanissimis praeliis uicit. Inter tot successus ter male pugnavit: apud Aruernos semel presens, et absens in Germania bis. nam legati eius duo, Titurius & Arunculeus, per insidias cęsi sunt.

Circa eadē tempora, anno urbis condite dc. xcix. Mar. Licinius Crassus, collega Cnei Pompeii Magni, in consulatu secundo, contra Parthos missus est: & cum circa Carras contra omnia & auspicia dimicasset, à Surena Orodis regis

regis duce uictus, ad postremū  
interfectus est, cum filio clarissi-  
mo & præstātissimo iuvene. Re-  
liquiæ exercitus per C. Cassium  
questorē seruatę sunt: qui singula-  
ri animo perditas res tāta uirtute  
restituit, ut Persas, rediēs trās Eu-  
phraten, crebris prælijs uinceret.

Hinc iam bellū ciuile successit  
execrandū & lachrymabile, quo  
p̄ter calamitates quę prælijs acci-  
derūt, etiā Romani nominis for-  
tuna mutata est. Cęsar, n. rediēs ē  
Gallia uictor, cœpit poscere alte-  
rū cōsulatū: atq; cū sine dubitate  
aliqua deferreret, cōtradictū est à  
Marcello Cos. à Bibulo, à Pōpe-  
io, à Catone, iussusq; dimissis ex-  
ercitib. ad urbē redire. p̄pter quā  
iniuriā, ab Arimino, ubi milites  
cōgregatos habebat, aduersum  
patriam

patriam cū exercitu uenit. Cōs. cum Pōpeio, Senatusq; omnis, atq; uniuersa nobilitas ex urbe fugit, & in Græciam trāsiiuit, apud Epirum, Macedoniã, Achaiam. Pompeio duce, contra Cæsarem bellū parauit. Cæsar uacuam urbem ingressus, Dictatorem se fecit. inde Hispanias petijt, ibi Pōpeij exercitus ualidissimos & fortissimos, cum tribus ducibus, L. Afranio, M. Petreio, M. Varro- ne, superauit. inde regressus, in Græciã transijt, aduersum Pompeium dimicauit. primo prælio uictus est, & fugatus: euasit tamen: quia nocte interueniente, Pompeius sequi noluit. dixitq; Cæsar, nec Pompeium scire uincere, & illo tantū die se potuisse superari. Deinde in Thessalia apud

apud Pharfaliã productis utrinque ingentibus copijs dimicauerunt. Põpeiij acies habuit xl. millia peditũ, equitũ in sinistro cornu viij. millia, in dextro d. Præterea totius Orientis auxilia, totamq; nobilitatem, innumeros Senatores, Prætorios, Cõsulares, & qui magnorũ iam populorũ uictores fuissent. Cæsar in acie sua habuit peditũ non integra xxx. millia, equites mille. Nunq; adhuc Romanæ copię neque maiores, neq; meliorib. ducibus conuenerant, totum terrarũ orbem facile subacturę, si cõtra Barbaros duceretur. pugnatũ tamẽ est ingenti contentione: uictusq; ad postremum Põpeius, & castra eius direpta sunt. ipse fugatus, Alexãdriã petit, ut à rege Aegypti, cui tutor

h      à Se-

à Senatu datus fuerat, propter iuuenilem eius ætatē, acciperet auxilia: qui fortunā magis quā amiciam secutus, occidit Pōpeium: caput eius & anulum Cæsari misit, quo conspecto, Cæsar lachrymas fudisse dicitur, tanti uiri intuens caput, & generi quondam sui. Mox Cæsar Alexandriam uenit, ipsi quoque Ptolemæus parare uoluit insidias: qua causa regi bellum illatum est. uictus in Nilo perijt, inuentumque est corpus eius cum lorica aurea. Cæsar Alexandria potitus, regnum Cleopatrag dedit, Ptolemæi sorori, cum qua consuetudinem stupri habuerat: que postea regio comitatu urbem ingressa est. Rediens inde Cæsar, Pharnacem Mithridatis magni filium, qui Pōpeio in auxiliū apud Thessa-

Theſſaliam fuerat, rebellantē in Ponto, & multas Pop. Ro. provincias occupantē, peruicit: poſtea ad mortē coëgit. inde Romā reſſus, tertio ſe conſulem fecit cum M. Aemilio Lepido, qui & magiſter equitum dictatori ante annū fuerat. Inde in Africā profectus eſt, ubi infinita nobilitas cū Iuba Mauritanie rege bellū repa- rauerat. duces autē Romani erāt, P. Cornelius Scipio, ex genere antiquiſſimo Scipionis Africanū: (hic etiā ſocer magni Pōpeij fue- rat) M. Petreius, Q. Varro, M. Porcius Cato, L. Cornelius Fau- ſtus, Syllæ quondā dictatoris fi- lius, Pōpeij gener à Cēſare inter- ſectus eſt. Poſt annum Cēſar Ro- mā reſſus, quarto ſe cōſulē fe- cit, et ſtatim ad Hispanias eſt pro-  
**h 2** fectus.

fectus, ubi Pompeij filij Cneus et Sextus, ingens bellum præparauerant, multa prælia fuerunt. ultimum prælium apud Mundam ciuitatem: in quo adeò Cæsar penè uictus est, ut fugientibus suis, se uoluerit occidere, ne post tãtam rei militaris gloriam, in potestatem adolescentium, natus annos sex & quinquaginta, ueniret. deniq; reparatis suis, uicit, et Sextus Pompeij filius maior occisus est, minor fugit. Inde Cæsar toto orbe bellis ciuilibus cõpositis, Romam redijt, agere insolētius cœpit, & contra libertatē Romanæ libertatis. Cum ergo & honores ex sua uolūtate præstaret, qui populo antea deferebantur, nec Senatui ad se uenienti assurgeret, aliaq; regia ac penè tyrannica faceret,

ret, coniuratū est in eum à lx. uel  
 amplius Senatorib. equitibusq;  
 Romanis. præcipui fuerunt inter  
 coniuratos, duo Bruti, ex eo ge-  
 nere Bruti qui primus Romę cō-  
 sul fuerat, & reges expulerat, C.  
 Cæsius, & Seruilius Cæsa. Ergo  
 Cæsar, cum Senatus die inter cæ-  
 teros uenisset ad curiã, xxiiij. uul-  
 neribus confossus est.

## LIBER SEPTIMVS.

**A**NNO urbis dcc. ferè ac no-  
 ano, interfecto Cæsare, bella  
 ciuilia reparata sunt. percussori-  
 bus enim Cæsaris Senatus faue-  
 bat. Antonius consul partiū Cæ-  
 saris, ciuilibus bellis opprimere  
 eos conabat. Ergo turbata Rep.  
 multa Antonius scelera commit-  
 tēs, à Senatu hostis iudicatus est.



missi ad eum persequendū duo  
Cofs. Pāsa & Hircius, et Octauia  
nus adolescēs annos xvij. natus,  
Cesaris nepos: quē ille testamēto  
heredē reliquerat, et nomē suum  
ferre iusserat. hic est qui postea  
Augustus est dictus, & rerū po-  
titus. Quare profecti cōtra Anto-  
niū tres duces, uicerūt eū. euenit  
tamē, ut uictores Cofs. ambo mo-  
rerētur. Quare tres exercitus uni  
Cæsari paruerunt, fugatus Anto-  
nius, amisso exercitu, cōfugit ad  
Lepidū, qui Cæsari magister equi-  
tum fuerat, & tum copias militū  
grādes habebat. à quo susceptus  
est. Mox Lepido operā dāte, Cē-  
sar cū Antonio pacē fecit: et qua-  
si uindicaturus patris sui mortē,  
à quo per testamentū fuerat ado-  
ptatus, Romam cū exercitu pro-  
fectus,

fectus, extorsit, ut sibi xx. anno  
consulatus daretur. Senatū pro-  
scripsit cum Antonio & Lepido,  
& Rēp. armis tenere cœpit. per  
hos etiam Cicero orator occisus  
est, multiq; aliij nobiles. Interea  
Brutus & Cassius, interfectores  
Cæsaris, ingens bellū mouerunt.  
erant enim per Macedoniam &  
Orientem multi exercitus, quos  
occupauerant. Profecti sunt igitur  
contra eos, Cæsar Octauia-  
nus Augustus, & M. Antonius.  
remanerat enim ad defenden-  
dam Italiam Lepidus. apud Phi-  
lippos, Macedoniae urbē, contra  
eos pugnauerūt. primo prælio ui-  
cti sunt Antonius & Cæsar: periit  
tamen dux nobilitatis Cassius. se-  
cundò Brutū et infinitā nobilitatē  
quæ cū illis bellū gesserat, inter-

fecerunt, ac sic inter eos diuisa est  
Resp. ut Augustus Hispanias,  
Gallias, Italiã teneret: Antonius  
Asiam, Pontum, Orientem. Sed  
in Italia L. Antonius Cos. bellũ  
ciuile commouit, frater eius qui  
cum Cæsare contra Brutum &  
Cassium dimicauerat. Is apud Pe-  
rusium Tuscię ciuitatem uictus  
& captus est, neque occisus. Inte-  
rim à Sexto Põpeio, Cnei Pom-  
peij filio, ingens bellum in Sicilia  
cõmotũ est, his qui superfuerant  
ex partibus Bruti Cassijq; ad eũ  
confluentibus. bellatum per Cæ-  
sarem Augustum Octauianum,  
& M. Antoniũ, aduersus Sextũ  
Põpeiũ: pax postremò cõuenit.  
Eo tẽpore M. Agrippa in Aequi-  
tania prosperè gessit. & L. Venti-  
dus Bassus irrupẽtes in Syriam,  
Persas,

Persas, tribus prælijs uicit. Par-  
 thorū regis Orodīs filiū interfe-  
 cit eo ipso die, quo olim Orodes  
 Persarū rex per ducē Surenam  
 Crassum occiderat. Hic primus  
 de Parthis iustissimū triumphū  
 egit. Interim Pompeius pacē ru-  
 pit: & nauali prælio uictus, fugiēs  
 ad Asiam, interfectus est. Anto-  
 nius qui Asiā & orientē tenebat,  
 repudiata sorore Cæsaris Augu-  
 sti Octauiāni, Cleopatram, regi-  
 nam Aegypti, duxit uxorē. Con-  
 tra Persas ipse etiā pugnauit: pri-  
 mis eos prælijs uicit. regrediens  
 tamen, fame & pestilentia labora-  
 uit: & cum instarēt Parthi fugien-  
 ti, ipse p̄ uictore celsit. Hic quo-  
 que ingens bellū ciuile cōmouit,  
 cogēte uxore Cleopatra, regina  
 Aegypti, dum cupiditate mulie-

bri optat etiam in urbe regnare. uictus est ab Augusto, nauali pugna clara & illustri, apud Acciū, qui locus in Epiro est: ex qua fugit in Aegyptū. & desperatis rebus, omnes ad Augustum transferunt. ipse se interemit. Cleopatra aspidē admisit, et ueneno eius extincta est. Aegyptus per Octavianum Augustum imperio Romano adiecta est: præpositusq; Cn. Cornelius Gallus, hunc primum Aegyptus Romanū iudicē habuit. Ita bellis toto orbe confectis, Octavianus Augustus Romā rediit, xij. anno postq; consul fuerat, ex eo Remp. per xliiij. annos solus obtinuit. antè enim xij. annis cū Antonio & Lepido tenuerat. Ita ab initio principatus eius usq; ad finem lvi. fuere. extinctus

ctus morte communi in oppido  
 Campaniæ Attela, Romæ in cam-  
 po Martio sepelitur: uir qui non  
 immeritò ex maiori parte Deo si-  
 milis est putatus, neq; enim facile  
 ullus eo aut in bello felicior fuit,  
 aut in pace moderatior: ciuilibi-  
 mè uixit, in cunctos liberalissi-  
 mus, in amicos fidissimus: quos  
 tantis euexit honoribus, ut penè  
 æquaret fastigio suo. Nullo tēpo-  
 re res Romana magis floruit, nā  
 exceptis ciuilib. bellis, in quibus  
 inuictus fuit, Romano adiecit im-  
 perio Aegyptū, Cantabriā, Dal-  
 matiam sæpe ante uictā, sed peni-  
 tus tunc subactam: Pannoniam,  
 Aquitaniam, Illyricum, Rhe-  
 tiam, Vindelicos, & Salassos in  
 Alpibus, omnes Ponti mariti-  
 mas ciuitates: in his nobilissimas,  
 Bospho-

Bosphorum, & Ponticapen. Vicit autem prælijs Dacos, Germanorum ingentes copias cæcidit: ipsos quoque trans Albim fluuium submouit, qui in Barbarico lōgè ultra Rhenū est. hoc tñ per Dru sum priuignū suū administrauit, sicut per priuignū Tiberiū alterum Pannonicū. quo bello cccc. millia captiuorum ex Germania transtulit, & supra ripā Rheni in Gallia collocauit. Armeniā à Parthis recepit: obsides, quod nulli antea, Persę ei dederūt: etiā signa Romana, quæ Crasso uicto ademerant. Scythæ & Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera & legatos ad eos miserunt. Galatia quoque sub hoc prouincia facta est, cum antea regnū fuisset. pri-  
musq̃

musq; eam M. Lollius pro Præ-  
 tore administravit. Tāto autem  
 amore apud Barbaros fuit, ut re-  
 ges, Pop. Ro. amici, in honorem  
 eius conderēt ciuitates, quas Cæ-  
 sareas nominarēt: sicut in Mauri-  
 tania à rege Iuba, & in Palæstina,  
 quæ nūc est urbs clarissima. Mul-  
 ti autem reges ex regnis suis ue-  
 nerunt, ut ei obsequerētur: & ha-  
 bitu Romano, togato scilicet, ad  
 uehiculum uel currum ipsius cu-  
 currerunt. Moriens Diuus ap-  
 pellatus est, Rempub. beatissi-  
 mam Tiberio successorī reliquit:  
 qui priuignus, mox gener, po-  
 stremò adoptione filius fuerat.

Tiberius ingenti fœcordia im-  
 perium gessit, graui crudelitate,  
 et scelestā auaritia, turpi libidine.  
 nam nusquam ipse pugnauit, bel-  
 la



la per legatos suos gessit. quosdam reges per blanditias euocatos, nunquam remisit, in quibus Archelaum Cappadocem: cuius etiam regnum in prouinciæ formam redegit, & maximam ciuitatē appellari suo nomine iussit, quæ nunc Cæsarea dicitur, cum Mazaga antea uocaretur. Hic tertio & uigesimo imperij anno, ætatis lxxix. ingēti omnium gaudio mortuus est in Campania.

Successit ei Caius Cæsar, cognomento Caligula, Drusi priuigni Augusti, & ipsius Tiberij nepos, sceleratissimus ac funestissimus, & qui etiã Tiberij dedecora purgauerit. Bellum contra Germanos suscepit: & ingressus Sueuiã, nihil strenuè fecit, supra sororibus intulit, ex una etiã natã filiam  
cogno

cognouit. Cum aduersum cunctos ingēti auaritia, libidine, crudelitate sæuaret, interfectus in palatio est, anno ætatis suæ xxxix. imperij iij. mense x. diēq; viij.

Post hunc Claudius fuit, patrus Caligulæ, Drusi (qui apud Magōciam cum filio monumentum habet, cuius & Caligula nepos erat) frater. hic Moediæ imperauit, multa gerens tranquille atque moderatè, quædam crudeliter atq; insulse. Britannis intulit bellum, quos nullus Romanorum post Iulium Cæsarem attingerat: eaq; deuicta per Cneum Sentium & Aulum Plautium, illustres & nobiles uiros, triumphum celebrè egit. Quasdam insulas etiã ultra Britannias in Oceano positas, Romano imperio addi-

addidit, quæ appellantur Orca-  
des. Filio autē suo Britannici no-  
men imposuit. tam ciuilis autem  
circa quosdam amicos extitit, ut  
etiā Plautiū nobile uirū, qui in ex-  
peditione Britannica multa egre-  
giè fecerat, triūphantē ipse profe-  
queret, & cōscendēti capitolium le-  
uus incederet. Is uixit annos lxxiij  
imperauit xiiij. post mortē con-  
secratus est, Diuusq; appellatus.  
Successit huic Nero, nepos Caij  
Caligulæ, auunculo suo similli-  
mus: qui imperium Romanū &  
deformauit, et diminuit: inusitate  
luxuriæ sumptuūq; ut qui exem-  
plo Caij Caligulæ, calidis & frigi-  
dis lauaret unguentis, retibus au-  
reis piscaretur, quæ blatteis funi-  
bus extrahebat. In finitā partē Se-  
natus interfecit, bonis omnibus  
hostis

hostis fuit. ad postremum se tanto dedecore prostituit, ut saltaret & cantaret in scena citharœdico habitu & Tragico. parricidia multa commisit. fratre, uxore, matre, interfectis, urbem Romam incendit, ut spectaculi eius imaginē cerneret: quali olim Troia capta arserat. in re militari nihil omnino ausus, Britāniam penē amisit. Nā duo sub hoc nobilissima oppida capta illic, atq; euerfa sunt, Armeniam Parthi sustulerunt, legionesq; Romanas sub iugū miserunt: duę tamen prouincię sub eo factę sunt: Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone, & Alpes, Gothię regedefunctio. Per hæc Romano orbi execrabilis ab omnibus simul destitutus, & à Senatu hostis iudicatus, quū

quæreretur ad pœnam (quæ pœna erat talis, ut nudus per publicũ ductus, furca capiti eius inserta, uirgis usq; ad mortem cederetur, atq; ita præcipitaretur de saxo) è palatio fugit: & in suburbano liberti sui, quod est inter Salariam & Numentanam uiam, ad quartum urbis milliarium interfectus est. Is ædificauit Romæ thermas, quæ antè Neronianę dictæ, nunc Alexandrinæ appellantur. Obijt xxxij. ætatis anno, imperij xiiij. atq; in eo omnis familia Augusti consumpta est.

Huic Seruius Galba successit, antiquissime nobilitatis Senator, cum lxxiiij. annum ageret ætatis, ab Hispanis & Gallis imperator electus, mox ab uniuerso exercitu libenter acceptus est. Nam pri  
uata

uata eius uita insignis fuerat militari-  
 bus & ciuilibus rebus. sæpe  
 consul, sæpe proconsul, frequen-  
 ter dux in grauissimis bellis.

Huius breue imperium fuit, &  
 quod bona haberet exordia, nisi  
 ad seueritatem propensior uide-  
 retur. Insidijs tamen Othonis  
 occisus est; imperij mēse septimo.  
 iugulatus in foro Romæ, sepul-  
 tusq; in hortis suis qui sunt Aure-  
 lia uia, nō lōge ab urbe Romana.

Otho, occiso Galba, inuasit im-  
 perium: materno genere nobilior  
 q̄ paterno, neutro tamē obscuro:  
 in priuata uita mollis, & Neroni  
 familiaris. in imperio documentū  
 sui nō potuit ostendere. Nam cū  
 iisdē tēporib. quibus Otho Gal-  
 bā occiderat, etiā Vitellius factus  
 esset à Germanicianis exercitib.

ī 2 impera

imperator, bello cōtra eum suscepto, cum apud Bebriacū in Italia breui praelio uictus esset, complures tamen copias haberet, sponte semetipsum occidit. petentibus militibus, ne tam cito de belli desperaret euentu, cum tanti se non esse dixisset, ut propter eum ciuile bellū oriretur, uolūtaria morte obiit, xxx. et octauo etatis anno, nonagesimo & quinto imperij die.

Dein Vitellius imperij potitus est, familia honorata magis quā nobili. Nam pater eius non admodum clarè natus, tres tamen ordinarios gesserat consulatus. hic cū multo dedecore imperauit, et graui sæuitia notabilis, præcipue in gluuie & uoracitate. quippe cum de die sepe quarto uel quinto feratur epulatus, notiss, certè cœna  
memo-

memoriæ mandata est, quam ei  
 Vitellius frater exhibuit: in qua  
 super cæteros sumptus, duo mil-  
 lia piscium, septem auium millia  
 apposita traduntur. Hic cum Ne-  
 roni similis esse uellet, atq; id adeò  
 præ se ferret, ut etiam exequias  
 Neronis, quæ humiliter sepultæ  
 fuerant, honoraret. A Vespasia-  
 ni ducibus occisus est, interfectio  
 prius Sabino Vespasiani impera-  
 toris fratre, quem cum Capitolio  
 incendit. Interfectus autem, & cū  
 magno dedecore tractus, per ur-  
 bem Romam publicè, nudus, ere-  
 cta coma, & capite, subiecto ad-  
 mentum gladio stercore inuolu-  
 lutum, & pectus ab omnibus ob-  
 uis appetitum. Postremò iu-  
 gulatus, & in Tiberim deiectus,  
 etiam communi caruit sepultura.



Perijt autem etatis anno septimo  
et quinquagesimo, imperij mēse  
xviiij. & die uno.

Vespasianus huic successit, factus apud Palæstinā imperator: princeps quidem obscure natus, sed optimis cōparāndus. priuata uita illustris, ut qui à Claudio in Germaniā, deinde in Britanniam missus, tricies & bis cū hoste conflixerit: duas ualidissimas gentes, xx. oppida, insulam Vectam Britanniae proximā, imperio Romano adiecerit. Romae se in imperio moderatissime gessit: pecuniae tamē auidior fuit, ita ut eā nullis iniuste auferret. Quā cū omni diligentiae prouisione colligeret, tamē studiosissime largiebatur, praecipue indigentibus. Nec facile ante eū cuiusquam principis uel maior est liberalitas

beralitas cōperta, uel iustior: placidissimę lenitatis, ut qui maiestatis quoq; contra se reos non facile puniret ultra exilij pœnam. Sub hoc Iudęa Romano accessit imperio: et Hierosolyma, quę fuit urbs clarissima Palęstinae: Achaiã, Lyciam, Rhodũ, Byfantiũ, Samum, quę libere ante hoc tēpus fuerāt: item Thraciam, Ciliciam, Tracheam Comagenem, quę sub regib. amicis erant, in prouinciarum formam redegit. Offensarũ & inimicitiarum immemor fuit: conuicia à cauidicis et philosophis in se dicta, leniter tulit, diligens tamen coercitor disciplinæ militaris. Hic cū Tito filio de Hierosolymis triumphauit. Per hæc cū Senatui, populo, postremò cūctis amabilis ac iucūdus esset, pfluuio uētris

extinctus est in uilla propria, circa Sabinos, annum ætatis agens lxxix. imperij nonum, & diem septimum, atq; inter diuos relatus est. Genituram filiorum ita cognitam habuit, ut cum multe contra eum coniurationes fierent, quas patefactas ingenti dissimulatione contempsit, in senatu dixerit, aut filios sibi successuros, aut neminem.

Huic Titus filius successit, qui et ipse Vespasianus est dictus: uir omnium uirtutum genere mirabilis, adeò ut amor & deliciae humani generis diceretur: facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus: causas latinè egit, poemata & tragœdias græcè composuit. In oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans, xij. propugnato

gnatores xij. sagittarum ictibus  
 confixit. Romæ tantæ ciuilitatis  
 in imperio fuit, ut nullum omni-  
 no puniret: conuictos aduersum  
 se coniurationis, ita dimisit, ut in  
 eadē familiaritate qua antea habu-  
 erit. Facilitatis tantæ fuit & libera-  
 litatis, ut nulli quicquam nega-  
 ret: & cum ab amicis reprehende-  
 retur, respondit, Nullum tristem  
 debere ab Imperatore discedere.  
 Præterea cum quadam die in cœ-  
 na recordatus fuisset, nihil se illo  
 die cuiquam præstitisse, dixerit,  
 Amici hodie diem perdidi. Hic  
 Romæ amphitheatrum ædifica-  
 uit, & quinque millia ferarum in de-  
 dicatione eius occidit. Per hæc  
 inusitato fauore dilectus, morbo  
 periit in ea qua pater uilla, post  
 biennium et menses octo, dies xx.

quàm imperator erat factus, ætatis anno altero & xl. tātus luctus eo mortuo publicus fuit, ut omnes tãquã in ppria doluerint orbitate. Senatus obitu ipsius circa uesperã nūciato, nocte irrupit in curiã: & tantas ei mortuo gratias laudesq̃ cōgessit, quãtas nec uiuo unquã egerat, nec præsenti. Inter diuos relatus est.

Domitianus mox accepit imperiũ, frater ipsius iunior: Neroni aut Caligulę, aut Tiberio similior, q̃ patri uel fratri suo. primis tamē annis moderatus in imperio fuit: mox ad ingentia uitia p̃gressus, libidinis, iracundię, crudelitatis, auaritię, tantũ in se odiũ concitauit, ut merita & patris & fratris aboleret. Interfecit nobilissimos ex Senatu. Dominũ & Deũ primus

mus se appellari iussit. nullā sibi  
 nisi aureā & argenteam statuā in  
 Capitolio poni passus est. conso-  
 brinos suos interfecit, superbia  
 quoq; in eo execrabilis fuit: expe-  
 ditiones quatuor habuit, unā ad-  
 uersus Sarmatas, alterā aduersus  
 Cattos, duas aduersum Dacos.  
 de Dacis Cattisq; publicē quidē  
 triumphū egit, de Sarmatis solā  
 Laureā usurpauit. multas quidem  
 calamitates iisdē bellis passus est.  
 nā in Sarmatia legio eius cū duce  
 interfecta est: & a Dacis Appius  
 Sabinus consularis, & Cornelius  
 Fuscus præfectus prætorij, cū ma-  
 gnis exercitib. occisi sunt. Romę  
 quoq; multa opera fecit. in his Ca-  
 pitoliū & forū trāsitoriū, Odæū,  
 porticus Iſiū, ac Serapium, ac Sta-  
 diū. Verū cū ob scelera uniuersis  
 exosus

exosus esse cœpisset, interfectus est suorum cœiuratione in palatio, anno ætatis xlv. imperij quinto decimo. funus eius cum ingenti dedecore per uespillones exportatum, & ignobiliter sepultum.

## LIBER OCTAVVS

**A**NNO octingentesimo & quinquagesimo ab urbe cœdita, Vetere & Valente consulibus. Respub. ad prosperrimũ statum redijt, bonis principibus ingenti foelicitate commissa. Domitiano enim exitiali tyranno Nerua successit, in priuata uita moderatus, & strenuus, nobilitatis mediæ: qui senex admodum operam dante Petronio Secũdo præfecto prætorij, item Parthenio interfectore Domitiani, imperator factus, æquissi-

æquissimum se præbuit. Reipub. diuina prouisione consuluit, Traianum adoptando. mortuus est Romæ post annum & quatuor menses imperij sui, ac dies octo: ætatis lxx. & altero anno. atq; inter diuos relatus est.

Successit ei Vlpus Traianus Crinitus natus Italicæ in Hispania, familia antiqua magis quam clara (Nã pater eius primus cos. fuit) imperator autẽ apud Agrippinã in Gallijs factus est. Remp. ita administrauit, ut omnib. principibus meritò præferatur. inusitatae ciuilitatis & fortitudinis fuit. Romani imperij, quod post Augustum defensum magis fuerat, quam nobiliter ampliatum fines longè lateq; diffudit: urbes trans Rhenum in Germania reparauit, Daciam



Daciam Decibalo uicto subegit,  
 prouincia trans Danubiũ facta in  
 his agris, quos nunc Thaiphali,  
 nunc Victophali, & Theruingi.  
 Ea prouincia decies centena mil-  
 lia in circuitu tenuit. Armeniam  
 quam occupauerant Parthi, rece-  
 pit, Sarmato rege occiso qui eam  
 tenebat. Albanis regem dedit. Li-  
 berorum regem & Sauromata-  
 rum & Bosporanorum & A-  
 rabum & Osdroænorũ & Col-  
 chorũ in fidẽ accepit. Adiabenos  
 Marchomodes occupauit: & An-  
 temusiũ magnã Persidis regionẽ,  
 Seleuciam & Ctesiphontẽ, Baby-  
 lonem & Edessios uicit, ac tenuit  
 usque ad Indiæ fines. & mare ru-  
 brũ accessit, atq; ibi tres prouinci-  
 as fecit, Armeniã, Assyriam, Me-  
 sopotaniam, cum his gentibus  
 quæ

HIST. ROM. LIB. VII. 139  
quæ Madenam attingūt. Arabiã  
postea in prouinciæ formã rede-  
git. in mari rubro classem institu-  
it, ut per eam Indię fines uastaret.  
Gloriã tamen militarẽ ciuilitate  
et moderatione superauit, Romę  
& per prouincias æqualem se om-  
nibus exhibens, amicos salutãdi  
causa frequentans, uel ægrotãtes,  
uel cum festos dies habuissent: cõ-  
uiuia cū iisdẽ in discreta uicissim  
habens, sæpe in uehiculis eorum  
sedens, nullum senatorum lædēs,  
nihil iniustum ad augendum fi-  
scum agens. liberalis in cunctos  
fuit, publicè priuatimq; ditãs, om-  
nes & honorib. augens, quos me-  
diocritate cognouisset: orbẽ ter-  
rarum ædificãs, multas immunita-  
tes ciuitatib. tribuēs, nihil nõ tran-  
quillũ & placidum agēs, adeò ut  
omni

omni eius ætate unus tantū Sena-  
tor damnatus sit, at is tamen per  
Senatum ignorāte Traiano, ob  
hoc per orbem terrarū Deo pro-  
ximus, nihil nō uenerationis me-  
ruit, & uiuus & mortuus. Inter a-  
lia dicta hoc illius fertur egregiū.  
amicis em̄ culpātib. quod nimis  
circa omnes comis esset, respon-  
dit, Talem se Imperatorē esse pri-  
uatis, quales esse sibi Imperator  
priuatos optasset. Post ingentem  
igitur gloriam belli domiq; quæ-  
sitam, ē Perside rediens, apud Se-  
leuciam Isauriæ profluuio uentris  
extinctus est. obiit autem ætatis  
anno lxxj. mēse nono, & die quar-  
to. Inter diuos relatus est. Solus  
omniū intra urbem sepultus est.  
Ossa collata in urnam auream, in  
foro quod ædificauit, sub colūna  
sita

sita sunt: cuius altitudo c. xl. pedes habet. Huius tantum memorie delatum est, ut usque ad nostram aetatem non aliud in Senatu principibus, acclameetur, nisi FELICIOR AVGVSTO, MELIOR TRAIANO. adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, ut uel assentantibus occasione magnificetissimi praestet exempli.

Defuncto Traiano, Aelius Adrianus creatus est princeps, sine aliqua quidem uoluntate Traiani, sed operante Plotina, Traiani uxore, nam cum Traianus, quantum consobrinae filium, uiuens noluerat adoptare, natus est ipse Italice in Hispania: qui Traiani gloriae inuidens, statim prouincias tres reliquit, quas Traianus addiderat, id est, Assyriam, Mesopotamiam, & Armeniam,

meniã, reuocauit exercitus, ac finẽ imperij esse uoluit Euphratẽ. Idẽ de Dacia facere conatũ, amici deterruerunt, ne multi ciues Romani Barbaris traderentur. propterea quia Traianus uicta Dacia, ex toto orbe Romano infinitas eò copias hominũ transtulerat, ad agros & urbes colẽdas. Dacia enim diuturno bello Decibali fuerat exhausta, pacẽ tamẽ omni tẽpore imperij sui habuit. semel tantũ per præsidẽ dimicauit, orbẽ Romanũ circuit, & multa ædificauit: facundissimus Latino sermone, Græco eruditissimus fuit: nõ magnã clemẽtiẽ gloriã habuit, diligentissimus tamen circa ærariũ, & militum disciplinam. Obijt in Campania, maior sexagenario, imperij anno xxi. mense

mēse x. die xxix. ipsius. Senatus ei tribuere noluit diuinos honores. tñ cū successor ipsius Titus Aurelius Fuluius Antoninus hoc uehementer exigeret, et uniuersi senatores palā resisterēt, tādē obtinuit.

Ergo Adriano successit M. Antoninus Fuluius Boioinus, idem etiā Pius nominatus, genere claro, sed nō admodū uetere: uir insignis, & qui meritò Numæ Pōpilio cōparatur, ita ut Romulo & Traiano æquetur. uixit ingēti honestate priuatus: maiori, in imperio, nulli acerbus, cunctis benignus, in re militari moderata gloria, defendere magis prouincias quàm amplificare studens, uiros iustissimos ad administrandam Remp. quærēs, bonis honorem habēs, improbos sine aliqua

acerbitate detestās, regibus amicis uenerabilis non minus q̄ terribilis: adeò ut Barbarorum plurimæ nationes, depositis armis, ad eum cōtrouersias suas litesq̄ deferrent, sententiæq̄ eius parerēt. Hic ante imperiū ditissimus, opes quidem suas stipendijs militum, & circa amicos liberalitatibus minuit, uerùm ærariū opulentum reliquit. Pius propter clementiam dictus est. Obijt apud Lorios, uillam suam, milliario ab urbe xij. uitæ anno lxxviij. imperij xxiij. atque inter deos relatus est, & meritò consecratus.

Post hūc imperauit M. Antoninus Verus, haud dubiè nobilissimus: quippe cum eius origo paterna à Numa Pōpilio, materna à Salentino rege penderet. Cum

eo L. Annius Antoninus Verus. tumq; primū Romana Resp. duobus æquo iure imperiū administrantibus paruit, cum usq; ad eū singulos semper habuisset Augustos. Hi & genere inter se coniūcti fuerūt, et affinitate. nam Verus Annius Antoninus, M. Antonini filiā in matrimoniū habuit. M. Antoninus gener Antonini Pij fuit, per uxore Valeriam Faustina, iuniorē consobrinam suā. Hi bellū cōtra Parthos gesserunt: qui post uictoriam Traiani primū rebellauerāt. Verus Antoninus ad id profectus est: qui Antiochiæ & circa Armeniā agēs, multa per duces & ingētia patrauit: Seleuciā Assyriæ urbē nobilissimā cum cccc. millibus hominum cepit: Parthicū trium  
 k 3 phum



phum reuexit, cū fratre eodemq̄  
 focero triumphauit. Obijt tamē  
 in Venetia, cū à Cōcordia ciuita-  
 te Altinū proficisceretur, & cum  
 fratre in uehiculo sederet, subito  
 sanguine ictus, casu morbi, quē  
 Græci ἀπὸ πλῆξις uocant, uir in-  
 genij parum ciuilis, reuerentia ta-  
 men fratris nihil unquam atrox  
 ausus. Cū obijisset xi. imperij an-  
 no, inter deos relatus est.

Post eum Marcus Antoninus  
 solus Remp. tenuit, quem mirari  
 facilius quis, q̄ laudare possit. A  
 principio uitæ tranquillissimus,  
 adeò ut in infantia quoque uultū  
 nec ex gaudio, nec ex mœrore  
 mutaret. Philosophiæ deditus  
 Stoicæ ipse etiā, non solum uitæ  
 moribus, sed etiā eruditione phi-  
 losophus. tantę admirationis ad-

huc

huc iuuenis, ut eum successorem parauerit Adrianus relinquere, adoptato tamen Antonino, Piū generum esse ei idcirco uoluerit, ut hoc ordine ad imperium perueniret. Institutus est ad philosophiam per Apollonium Chalcedonium, ad scientiā Græcarum literarum per Cheronensem, Plutarchi nepotem. Latinas autem literas eum Fronto orator nobilissimus docuit. Hic cum omnibus Romę equo iure egit, ad nullam insolentiam elatus est imperij fastigio, liberalitatis prōptissimę, prouincias ingenti benignitate et moderatione tractauit. Contra Germanos eo principe res feliciter gestę sunt. Bellū ipse unū gessit Marcomannicū, sed quantum nulla memoria fuit, adeo ut

Punicis conferatur, quod eo grauius est factum, q̄ uniuersi exercitus perierant. sub hoc enim tantus casus pestilentiae fuit, ut post uictoriam Persicā, Romae ac per Italiā puouinciasq̄, maxima hominum pars, militū omnes ferē copiae lāguore defecerint. Ingenti ergo labore & moderatione, cum apud Carnuntū iugi triennio perseuerasset, bellū Marcōmannicum confecit, quod cum his Quadi, Vandali, Sarmatae, Sueui, atq̄ omnis Barbaria commouerat: multa hominum millia interfecit: ac Pannonijs seruitio liberatis, Romae rursus cū Commodo Antonino filio suo, quem iam Cēsarem fecerat, triūphauit. Ad huius belli usum ærario exhausto, cū largitiones nullas haberet,

beret, neq; indicere prouincialibus aut senatui aliquid uellet, instrumenta regij cultus facta in foro diui Traiani sectione, distraxit. uasa aurea, pocula crySTALLINA & murrina, uxoriã ac suam sericam, ac auream uestem, multa ornamenta gemmarũ, ac per duos continuos menses uenditio habitata est, multumq; auri redactum. Post uictoriã tamẽ emptoribus precia restituit, qui reddere comparata uoluerunt, molestus nulli fuit, qui maluit semel empta retinere, hic permisit uiris clarioribus, ut conuiuia eodẽ cultu quo ipse, & ministris similibus exhiberẽt. In editione munerũ post uictoriã adeo magnificus fuit, ut centum simul leones exhibuisse tradat. Cũ igitur fortunatã Remp.

& uirtute & māfuetudine reddi-  
disset, obiit xviiij. imperij anno, ui-  
tæ lxi. & omnibus certatim adni-  
tentibus, inter deos relatus est.

Huius successor L. Antoninus  
Cōmodus, nihil paternū habuit,  
nisi q̄ cōtra Germanos foeliciter  
& ipse pugnavit. Septembrem  
mēsem ad nomē suū trāsferre co-  
natus est, ut Commodus dicere-  
tur: sed luxuria & obscœnitate  
deprauatus, gladiatorijs armis se-  
pissimè in ludo, deinde etiam in  
amphitheatro cū huiusmodi ho-  
minib. sepe dimicauit, obiit mor-  
te subita, adeò ut strāgulatus, uel  
ueneno interfectus putaret̄, cum  
annis xij. post patrē, & viij. mēsi-  
bus imperasset, tāta execratione  
omniū, ut hostis humani generis  
etiam mortuus iudicaretur.

Huic

Huic successit Pertinax, grandæuus iam, ut qui septuagenariã attigisset ætatē, præfecturam urbis tum agens, ex s. C. imperare iussus. octogesimo imperij die prætorianorum militum seditio- ne, & Iuliani scelere occisus est.

Post eū Saluius Iulianus Rēp. inuasit, uir nobilis et iure peritissi- mus, nepos Saluij Iuliani, qui sub diuo Adriano perpetuum com- posuit edictū. Victus est à Seue- ro apud Miluiū pontem, interfe- ctus in palatio, uixit mensibus se- ptem, postq̃ cœperat imperare.

Hinc imperij Romani admini- strationē Septimius Seuerus ac- cepit, oriūdus ex Africa puincia Tripolitana, oppido Lepti. solus omni memoria & ante & postea ex Africa impator fuit. hic primū  
Fisci

Fisci aduocatus, mox militaris tribunus, per multa deinde et uaria officia atq; honores usq; ad administrationē totius Reip. puenit. Pertinacē se appellare uoluit, in honorē eius Pertinacis qui à Iuliano fuerat occisus. Parcus admodum fuit, natura seuus, bella multa & foeliciter gessit. Pescenniniū Nigrū, qui in Aegypto & Syria rebellauerat, apud Cyzicū interfecit: Parthos uicit, & Arabas interiores, & Adiabenos. Arabas quoq; superauit, ut etiā prouinciā ibi faceret: idcirco Parthicus, Arabicus, et Adiabenicus dictus est. multa toto Romano orbe reparauit, sub eo etiā Clodius Albinus, qui in occidēdo Pertinace socius fuerat Iuliano, Cefarem se in Gallia fecit: uictusq; apud Lugdunum,

dunum, est interfectus. Seuerus autē præter bellicā gloriā, etiā ciuilib. studijs clarus fuit, & literis doctus, philosophiæ scientiā ad plenū adeptus. nouissimū bellū in Britānia habuit: utq; receptas prouincias omni securitate muniret, uallum per xxxv. millia passuū à mari ad mare deduxit. Decessit Eboraci admodū senex, imperij anno xvi. mēse iiii. & Diuus appellatus est. nā filios duos successores reliquit, Bassianū & Geta: sed Bassiano Antonini nomē Senatus uoluit imponi. itaq; dictus est M. Aurelius Antoninus Bassianus: patriq; successit. Nam Geta hostis publicus iudicatus, confestim perijt.

Marcus igitur Aurelius Antoninus Bassianus, idēq; Caracalla,  
 morum



morum ferè paternorū fuit, pat-  
 lō asperior, & minax. opus Ro-  
 mæ egregium fecit lauacri, quæ  
 Antoninianæ appellantur. nihil  
 præterea memorabile. Impatiens  
 libidinis, ut qui nouercam suam  
 Iuliam, uxorem duxerit. Defun-  
 ctus est in Osdroene apud Edel-  
 sam, moliens aduersum Parthos  
 expeditionem, anno imperij vi.  
 mense ij. uix egressus ætatis xliij.  
 annū. funere publico elatus est.

Opilius deinde Macrinus, qui  
 præfectus p̄torij erat, cū filio Dia-  
 dumeno facti imperatores, nihil  
 memorabile ex temporis breui-  
 tate gesserūt. nā imperiū eorū ij.  
 mēsiū, et unius anni fuit. seditione  
 militari ambo pariter occisi sunt.

Creatus est post hos M. Aure-  
 lius Antoninus. hic Antonini Ca-  
 racallæ

racallę filius putabatur, sacerdos  
 autē Heliogabali tēpli erat. Is cū  
 Romę & militū & Senatus expe-  
 ctatione uenisset, probris se om-  
 nib. cōtaminauit. Impudicissimē  
 & obscœnissimē uixit, biēniōq;  
 post & viij. mētib. tumultu inter-  
 fectus est militari, & cū eo mater  
 Semiasyra. Successit huic Au-  
 relius Alexāder, ab exercitu Cæ-  
 sar, à Senatu Augustus nomina-  
 tus, iuuenis admodū. susceptoq;  
 aduersus Persas bello, Xerxē Xe-  
 renorū regē gloriosissimē uicit.  
 militarē disciplinā seuerissimē re-  
 xit. quasdā tumultuarias legiōes  
 integras exautorauit. Assessorē  
 habuit, uel scriniij magistrum, Vi-  
 pianum, iuris conditorem. Ro-  
 mæ quoq; fauorabilis fuit. Perijt  
 in Gallia, militari tumultu, xiiij.  
 impe-

imperij anno, & die viij. in matrē  
suam Mammeam unicè pius.

LIBER NONVS.

**P**OST hūc Maximinus ex cor-  
pore militari primus ad im-  
perium accessit, sola militum uo-  
lūtate, cum nulla Senatus inter-  
cessisset autoritas, neq; ipse sena-  
tor esset. Is bello aduersus Ger-  
manos fœliciter gesto, cum à mi-  
litibus esset imperator appella-  
tus, à Pupieno Aquileiæ occisus  
est, deserentibus eum militibus  
suis, cum filio adhuc puero, cum  
quo imperauerat triēnio, & pau-  
cis diebus.

Postea tres simul Augusti fue-  
rūt, Pupienus, Balbinus, & Gor-  
dianus. duo superiores obscuris-  
simo genere, Gordianus nobilis:  
quippe

quippe cuius frater senior Gordianus cōsensu militū cū proconsulatum Africæ gereret Maximiano imperante princeps fuisset electus. Itaq; cum Romam uenissent Balbinus & Pupienus, in palatio interfecti sunt, soli Gordiano imperio reseruato.

Gordianus admodum puer, cum Tranquillam Romæ duxisset uxorē Ianū geminū aperuit: & ad Orientem profectus, Parthis bellum intulit, qui iam moliebantur erūpere. quod quidem mox foeliciter gessit, prælijsq; ingentibus Persas afflixit. Rediens haud longe à Romanis finibus interfectus est fraude Philippi, qui post eum imperauit. Miles ei tumultū xx. milliario à Circesso, quod castrum nunc Romanorum est, Euphrati

phrati imminens, ædificauit, ex-  
equias Romam reuexit, ipsum di-  
uum appellauit.

Philippi duo, filius et pater Gor-  
diano occiso, imperiū inuaserūt:  
atq; exercitu incolumi reducto, ad  
Italiā ē Syria pfecti sunt. His impe-  
rantib. millesimus annus Romæ  
urbis ingēti ludorū apparatu spe-  
ctaculorūq; celebratus est. ambo  
inde ab exercitu interfecti sunt: se-  
nior Philippus Vecong, Romę iu-  
nior. Annis quinq; imperauerūt.  
inter diuos tamen relati sunt.

Post hos Decius ē Pānonia in-  
feriore, Bubaliæ natus, imperium  
sumpsit. bellū ciuile quod in Gal-  
lia motū fuerat, oppressit. filiū su-  
um Cæsarē fecit, Romæ lauacrū  
ædificauit. Cū biēnio ipse & filius  
eius imperassent, uterq; in Barba-  
rico

rico interfecti sunt, senior meruit inter diuos referri.

Mox imperatores creati sunt, Gallus Hostilianus, et Galli filius Volusianus. sub his Aemilianus in Mœsia res novas molitus est: ad quem opprimendū, cū ambo pfecti essent, Interamnē interfecti sunt, nō cōpleto biēnio. nihil omnino clarū gesserunt, Sola pestilētia morbis atq; ægritudinib. notus eorum principatus fuit.

Aemilianus obscurissimē natus, obscurius imperavit, ac tertio mēse extinctus est.

Hinc Licinius Valerianus in Rhetia & Norico agēs, ab exercitu Imperator, & mox Augustus est factus. Galienus quoq; Romæ à Senatu Cæsar est appellatus. Horū imperiū Romano nomini per-

niciosum, & penè exitiabile fuit, ita ut uel infelicitate principum, uel ignauia Germani Rauennam usq̃ uenirent. Valerianus in Mesopotamia bellū gerens, à Sapore Persarum rege superatus est. mox etiā captus, apud Parthos ignobili seruitute cōsenuit. Nam quā diu uixit rex eiusdem prouinciā, incuruato eo, pedem eius ceruicibus imponens, solitus erat equum conscendere.

Galienus cum adolescens factus esset Augustus, imperiū primum feliciter, mox commode, ad ultimū perniciose gessit. Nam iuuenis in Gallia & Illyrico multa strēnue fecit, occiso apud Mursiam Ingenuo qui purpurā sumpserat, & Trebelliano. diu placidus & quietus, mox in omnem la  
 sciuiam

sciuiam dissolutus, tenēde Reip.  
 habenas probrosa ignauia & de-  
 speratione laxauit. Alemanni ua-  
 statis Gallijs in Italiam penetraue-  
 runt. Dacia quæ à Traiano ultra  
 Danubium fuerat adiecta, amissa  
 est. Græcia, Macedonia, Pontus,  
 Asia uastata per Gothos. Panno-  
 nia à Sarmatis Quadisq; popula-  
 ta est. Germani usq; ad Hispanias  
 penetrauerunt, & ciuitatem nobi-  
 lem Tarraconē expugnauerunt.  
 Parthi Mesopotamia occupata,  
 Syriam sibi ceperant uindicare,  
 cum iam desperatis rebus, & dele-  
 to imperio Romano, Posthumus  
 in Gallia obscurissime natus pur-  
 puram sumpsit. & per annos de-  
 cem ita imperauit, ut consumptas  
 penè prouincias ingenti uirtute et  
 moderatione reparauerit, qui se-  
 ditione



ditione militum interfectus est, quod Mogunciacum quæ aduersum eum rebellauerat, Lolliano res nouas moliente, diripiendam militibus tradere noluisse. Post eum Marius uilissimus opifex purpuram sumpsit, & secundo die interfectus est. Victorinus postea Galliarum accepit imperium, uir strennuissimus: sed cū nimix libidinis esset, & matrimonia aliena corrumpere, Agrippinæ occisus est, actuario quodam machinante dolum, imperij sui anno secundo. Huic successit Tetricus Senator, qui Aquitaniam honore præsidis administrans, absens à militibus Imperator electus est, & apud Burdegalam purpuram sumpsit, seditiones multas militum pertulit. Sed cum hæc  
in Gal

in Gallia agerentur, in Oriēte per Odenatum Persæ uicti sunt, defensa Syria, recepta Mesopotamia. usq; ad Ctesiphontem Odenatus penetrauit. Ita Galieno Remp. deserente, Romanum imperium in Occidente per Posthumium, per Odenatum in Oriente seruatum est. Galienus interea fraude Aureoli ducis sui, Mediolani cum fratre Valeriano occisus est, imperij anno nono.

Claudiusq; successit, à militibus electus, à Senatu appellatus Augustus. Hic Gothos, Illyricum, Macedoniaq; uastates, ingenti prælio uicit: parcus uir, ac modestus, & iusti tenax, & Reip. gerendæ idoneus: qui tamen intra biennium morbo periit, et Diuus appellatus. Senatus ingēti eū

1 4      honore

honore decorauit, scilicet ut in curia clypeus ipsi aureus, item in Capitolio statua aurea, poneretur.

Quintilius post eum, Claudij frater, consensu militum imperator electus est: uir unicæ moderationis & ciuilitatis, æquandus fratri uel præponendus; cōsensu à Senatu appellatus Augustus, septimo decimo die imperij occisus est.

Post eum Aurelianus cœpit imperium, Dacia ripensi oriundus: uir in bello potens, animi tamen immodici, & ad crudelitatem propensior. Is quoque Gothos strenuissime uicit. Romanam ditionem ad fines pristinos, uaria bellorum scelicitate reuocauit, superauit in Gallia Tetricum: qui à militibus imperator electus apud Catalaun-

nios, ipso Tetrico prodente exercitum suum, cuius assiduas seditiones ferre non poterat: quin etiam per literas occultas Aurelianium ita fuerat deprecatus, ut inter alia uersu Virgiliano uteretur, Eripe me his inuicte malis. Zenobiam quoque occiso marito Odenato, qui Occidentem tenebat, haud longè ab Antiochia non sine graui prelio cepit: ingressusque Romam, nobilem triumphum quasi receptor Orientis Occidentisque egit. currum præcedentibus Tetrico & Zenobia. Qui quidem Tetricus etiam corrector Lucaniae postea fuit, ac priuatus diutissime uixit. Zenobia autem, posteros, qui adhuc manent Romae, reliquit. Hoc imperante etiam monetarii in urbe rebellauerunt

uerunt uiciatis pecunijs & Foellicis. Rationali interfecto. quos Aurelianus uictos, ultima crudelitate cōpescuit, plurimos nobiles capite dānauit, seuus ac sanguinarius, ac necessarius magis in quibusdam, quàm in ullo amabilis Imperator. Trux omni tempore, etiam filij sororis interfector, disciplinae tamen militaris & morum dissolutorum magna ex parte corrector. Urbem Romam muris firmioribus cinxit, templum Soli aedificauit, in quo infinitum auri, gemmarumq̄ constituit. Prouinciam Daciam, quam Traianus ultra Danubium fecerat, intermisit, uastato omni Illyrico, & in Mœsia collocauit. & est in dextera Danubio, in mare fluenti, cum antea fuerit in læua.

Occi-

Occiditur serui sui fraude, qui ad quosdam militares uiros amicos ipsius nomina pertulit annotata, falso manum eius imitatus, tanquam Aurelianus ipsos pararet occidere. itaque ut preueniretur ab hisdem, interfectus est in itineris medio, quod inter Constantinopolim & Heraclium est stratae ueteris. Locus Zenophurium appellatur. mors tamen eius inulta non fuit. meruit quoque inter diuos referri. imperauit annos v. menses vi.

Tacitus post hunc suscepit imperium, uir egregie moratus, & Reip. gerendae idoneus: nihil tamen clarum potuit ostendere, intra uimensem imperij morte preuentus.

Florianus qui Tacito successerat, duob. mensibus, & diebus xx. in impe-

in imperio fuit, neq; quicquam dignum memoria egit.

Post hunc Probus uir illustris gloria militari, ad administrationem Reipub. accessit. Gallias à barbaris occupatas, ingenti preliorum foelicitate restituit. Quosdam imperium usurpare conatos, scilicet Saturninum in Oriente, Proculum & Bonosum Agrippinae, certaminibus oppressit: uineas Gallos & Pannonios habere permisit. opere militari Almu montem apud Syrmium & Auræum, apud Mœsiam superiorē uineis conseruit, & prouincialibus colēdas dedit. Hic cum bella innumera gessisset, pace parta, dixit breui milites necessarios nō futuros. uir acer ac strēnuus, iustus, & qui Aurelianū æquaret gloria  
mili

militari, morum tamen ciuilitate superaret. Interfectus autem est Syrmio tumultu militari in turre ferrata, imperauit annos vi. menses quatuor.

Post hunc Carus est factus Augustus, Narbonæ natus in Gallia. is confestim Carinum & Numerianum filios Cæsares fecit, cū quibus regnauit duobus annis. sed dum bellum aduersum Sarmatas gerit, nunciato Persarum tumultu, ad Orientem profectus, res contra Persas nobiles gessit: ipsos prælio fudit, Corchen & Ctesiphontem urbes nobilissimas cepit: & cum castra supra Tigridem haberet, ictu diuini fulminis periit. Numerianus quoque filius eius quem secum ad Persas duxerat, adolescens egregiæ



gregiæ indolis, cū oculorū dolore correptus, lecticula ueheretur, impulsore Apro, qui socer eius erat, per insidias occisus est. et cum dolo occultaret, ipsius mors foetore cadaueris prodita est. milites enim qui eum sequebantur, foetore commoti, diductis lecticulæ palliis, post aliquot dies mortem eius notam habere potuerunt. Interea Carinus, quem Cæsarem in Parthos proficiscēs, Carus in Illyrico, Gallia, Italia, reliquerat, omnibus se sceleribus coinquinauit : plurimos innoxios fictis criminibus, occidit : matrimonia nobilia corrupit : discipulis quoque qui eum in auditorio uel leui fatigatione taxaerant, perniciosus fuit. Ob quæ omnibus bonis inuisus, non multo post

tò post pœnas dedit. Nam de  
 Perfide uictor exercitus rediens,  
 cum Carum Augustum fulmine,  
 Numerianum Cæsarem insidijs  
 perdidisset, Diocletianum Impe-  
 ratorem creauit Dalmatia oriun-  
 dum, uirũ obscurissimẽ natum: a-  
 deò ut à plerisq; scribæ filius, à nõ  
 nullis Amullini senatoris liberti-  
 nus fuisse credatur.

Is prima militum concione iu-  
 rauit Numerianum nullo suo do-  
 lo interfectum. & cum iuxta eum  
 Aper, qui Numeriano insidias  
 fecerat, constitisset, in conspectu  
 exercitus manu Diocletiani per-  
 cussus est. Postea Carinum om-  
 ni odio et detestatione uiuentẽ, a-  
 pud Murgum ingenti prælio ui-  
 cit proditum ab exercitu suo, quẽ  
 fortiorem habebat, certè desertũ  
 inter

inter Viminatium atq; Auræum  
montem. Ita rerum Romanarum  
potitus, cū tumultum rustici in  
Gallia concitassent, et factioni suę  
Baucadarum nomen imponerēt,  
duces aut haberent Amandum  
& Aelianum, ad subigendos eos  
Maximianum Herculeum Cæsa  
rem misit, qui leuibus prælijs a  
grestes domuit, & partem Gallię  
reformauit. Post hæc tempo  
ra etiam Carausius, qui uilissime  
natus, in serenæ militiæ ordine fa  
mam egregiam fuerat consecutus  
cum apud Bononiam per tractū  
Belgię & Armoricę paran  
dum mare accepisset, quod Fran  
ci & Saxones infestabant, mul  
tis barbaris sæpe captis, nec præ  
da integra, aut prouincialibus  
reddita, aut imperatorib. missa,  
cum

cum suspicio esse cœpisset, con-  
 sultò ab eo admitti Barbaros, ut  
 transeuntes cum præda excipe-  
 ret, atq; hac se occasione ditaret.  
 à Maximiano iussus occidi, pur-  
 puram sumpsit, & Britannias oc-  
 cupavit. Ita cum per omnem or-  
 bem terrarū res turbatæ essent,  
 & Caransius in Britannijs rebel-  
 laret, Achilles in Oriente, Afri-  
 cam Quinquegētiani infestaret,  
 Narseus Orienti bellū inferret,  
 Diocletianus Maximinianū Her-  
 culeum ex Cæsare fecit Augustū,  
 Constantium & Maximianum  
 Cæsares. Quorum Constantius  
 per filiā nepos Claudij traditur.  
 Maximianus Galerius in Dacia  
 haud longè à Sardyca natus, atq;  
 ut eos affinitate cōiungeret, Con-  
 stantius priuignā Herculei Theo-  
 m doram

doram accepit, ex qua postea sex  
 liberos Cōstātini fratres habuit,  
 Galerius filiā Diocletiani Valeri  
 am, ambo uxores quas habuerāt,  
 repudiare cōpulsi. Cū Carausio  
 tamē cū bella frustra tētata essent  
 contra uirū rei militaris peritissi  
 mū, ad postremū pax cōuenit, eū  
 post septenniū Allectus socius e  
 ius occidit, atq; ipse post eū Britā  
 nias triēnio tenuit, qui ductu A  
 sclepiodoti p̄fecti p̄torio est  
 oppressus. Ita Britannia decimo  
 anno recepta est. Per idē tēpus à  
 Constantio Cæsare in Gallia pu  
 gnatum est, circa Lingonas, die  
 una aduersam & secundā fortu  
 nam expertus est, nam cum re  
 pētē Barbaris ingruētibus, intra  
 ciuitatē esset coactus, tam præci  
 piti necessitate, ut clausis portis,  
 per

per murū funibus tollēretur, uix  
 quinq; horis medijs aduentante  
 exercitu, lx. ferè millia Alemanno  
 rum cecidit. Maximianus quoq;  
 Augustus bellū in Africa profligauit,  
 domitis Quinquegētianis,  
 & ad pacē redactis. Diocletianus  
 obsessum Alexandriae Achilleū,  
 viij. ferè mense superauit, eumq;  
 interfecit. uictoria acerbè usus  
 est. totā Aegyptū grauibus pro-  
 scriptionibus cædibusq; foeda-  
 uit. Ea tamē occasione ordinauit  
 prouidè multa, & disposuit quæ  
 ad nostram ætatem manent. Ga-  
 leriū Maximianus primum ad-  
 uersum Narseū præliū & secun-  
 dum habuit, inter Gallicinū Car-  
 rasq; cōgressus, cū incōsultè ma-  
 gisq; ignauè dimicasset. admodū  
 em̄ parua manu cū copiosissimo  
 m 2 hoste

hoste commisit. Pulsus igitur, & ad Diocletianū profectus, cum ei in itinere occurrisset, tāta insolentia fertur à Diocletiano exceptus, ut per aliqua passuum milia purpuratus tradatur ad uehiculum cucurrisse. mox tamē per Illyricum Mæsiamq; contractis copijs, rursus cum Narseo Ormisdæ & Saporis auo, in Armenia maiori pugnavit successu ingenti, nec minore consilio simul, & fortitudine: quippe qui etiam speculatoris munus cum altero aut tertio equite suscepit. pulso Narseo, castra eius diripuit, uxores, sorores, liberos cepit, infinitam extrinsecus Persarum nobilitatem, gazam Persicam copiosissimam. ipsum in ultimas regionis solitudines egit. quare à Diocletia-

detiano, in Mesopotamia tum  
 morante, ouans regressus, ingen-  
 ti honore susceptus est. Varia  
 deinceps simul & uiritim bella  
 gesserunt, Carpis & Basternis  
 subactis, Sarmatis uictis, quarū  
 nationum ingentes captiuorum  
 copias in Romanis finibus loca-  
 uerūt. Diocletianus moratus cal-  
 lidè fuit, sagax præterea, & admo-  
 dum subtilis ingenio, & qui seue-  
 ritatē suam aliena inuidia uellet  
 explere: diligentissimus tamē &  
 solertissimus princeps, & qui im-  
 perio Romano primus regiae cō-  
 fuetudinis formam magis, quàm  
 Romanæ libertatis inuexit, ado-  
 rariq; se iussit. cum ante eum cun-  
 cti salutarentur, ornamenta gem-  
 marum uestibus calceamentisq;  
 indidit. Nā prius imperij insigne



in chlamyde purpurea tātū erat:  
reliqua cōmunia. Herculeus autē  
propalā ferus et inciuilis ingenij,  
asperitatē suā etiā uultus horrore  
significans. hic naturę suæ indul-  
gēs, Diocletiano in omnibus est  
sanioribus cōsilijs obsecutus. Cū  
autem ingrauescente æuo, parū  
se idoneum Diocletianus mode-  
rādo imperio esse sentiret, autor  
Herculeo fuit, ut in priuatā uitā  
concederent, & stationē tuendæ  
Reip. uiridioribus iunioribusq̃  
mandarēt. cui egrè collega obtē-  
perauit. tamē uterq̃ uno die pri-  
uato habitu, imperij insigne mu-  
tauit, Nicomediæ Diocletianus,  
Herculeus Mediolani, post triū-  
phū inclytū, quē Romę ex nume-  
rosis gētibus egerāt, pōpa fercu-  
lorū illustri, qua Narsei cōiuges  
& li

& liberi ante currum ducti sunt. Concesserunt tum Salonā unus, alter in Lucaniam. Diocletianus priuatus in uilla quæ haud procul à Salonis est, præclaro ocio se nuit, inusitata uirtute usus: ut solus omnium post conditum Romanum imperium, ex tanto fastigio spõte ad priuatę uitæ statum ciuilitatemq; remearet. Contigit igitur ei, quod nulli post natos homines, ut cū priuatus obisset, inter diuos tamen referretur.

## LIBER DECIMVS.

**H**IS igitur abeuntibus in administrationem Reip. Constantius & Galerius Augusti creati sunt, diuisusq; inter eos Romanus orbis, ut Galliam, Italiam, Africam, Constantius: m 4 Illy.

Illyricum, Asiam, Orientem Galerius obtineret, sumptis duobus Cæsaribus, Constantius tamen contentus dignitate Augusti, Italię atq; Africę administrandę sollicitudinem recusauit: uir egregius, & præstantissimę ciuitatis, diuitijs prouincialium ac priuatorũ studens, fisci commoda non admodum affectans: dicensq; Melius publicas opes à priuatis haberi, quàm intra unũ claustrum reseruari: adeò autem cultus modici, ut festis diebus, si amicis numerosioribus esset epulandum, priuatorum eis argento ostiatim petito triclinia sternerentur, his non modò amabilis, sed etiam uenerabilis Gallis fuit: præcipuè quod Diocletiani suspectam prudentiam, & Maximiani

miani sanguinariã te meritatem imperio eius euaserant. Obijt in Britannia, Eboraci, principatus anno tertio decimo, atq; inter diuos relatus est. Galerius uir & probè moratus, & egregius in re militari, cum Italiã quoq; sinente Constantio administrationi suæ accessisse sentiret, Cæsares duos creauit. Verùm Cōstantio mortuo, Constantinus ex obscuriori matrimonio eius filius in Britannia creatus est imperator, & in locum patris exoptatissimus moderator accessit. Romæ interea prætoriani excitato tumultu, Maxentium Herculei filiũ, qui haud procul ab urbe in uia publica morabatur, Augustum nuncupauerunt. quo nuncio Maximianus Herculeus ad spem erectus resu-

m 5 mendi

mendi fastigij, quod inuitus ami-  
 serat, Romã aduolauit è Lucania,  
 quam sedē priuatus elegerat, in  
 agris amœnissimis cōsenescens:  
 Diocletianumq; etiã per literas  
 adhortatus est, ut depositã resu-  
 meret potestatē. quas ille irritas  
 habuit, sed aduersum motũ præ-  
 torianorũ atq; Maxētij, Seuerus  
 Cęsar Romam missus à Galerio,  
 cum exercitu uenit: obsidensq;  
 urbē, militũ suorũ scelere deser-  
 tus est, auctæ Maxētio opes, con-  
 firmatumq; imperiũ. Seuerus fu-  
 giens, Rauennæ interfectus est.  
 Hercules tamen Maximianus,  
 post hæc in cōcione exercituum  
 filium Maxentium nudare cona-  
 tus, seditionē & cōuicia militum  
 tulit. Inde ad Gallias profectus  
 est: dolo composito, tanquã à  
 filio

filio esset expulsus, ut Constantino genero iūgeretur, moliens tamen Constantinū reperta occasione interficere, qui in Gallijs, & militum & prouincialium ingentiam fauore regnabat, cæsis Francis atq; Alemannis, captisque eorum regibus: quos etiā bestijs, cū magnificum spectaculū muneris parasset, obiecit. Detectis igitur insidijs per Faustam filiam, quæ dolum uiro nunciauerat, profugit Hercules Mafsiliam, ibiq; oppressus (ex ea etenim nauigare ad filiū preparabat) pœnas dedit iustissimo exitu: uir ad omnem asperitatē sæuitiamq; procliuus, infidus, incommodus, ciuilitatis penitus expers.

Per hoc tempus Licinius à Galerio imperator est factus,  
Dacia

Dacia oriūsus, notus ei antiqua consuetudine, & in bello quod aduersus Narsecum gesserat, strenuis laboribus & officijs acceptus, mors Galerij cōfestim secuta est. Resp. tum ab his quatuor imperatorib. tenebatur, Cōstantino & Maxētio, filijs Augustorum, Licinio & Maximiano nouis hominibus. Quinto tamen Constantinus imperij sui anno, bellum aduersum Maxentium ciuile cōmouit, copias eius multis prælijs fudit: ipsum postremò Romæ aduersus nobiles omnibus exitijs sæuientem, apud Pontem Miluium uicit, Italiaq; est potitus. Non multo post deinceps in Orientem quoq; aduersus Licinium Maximianus res nouas molitus, uicinū exitium fortuita apud

apud Tarsum morte præuenit. Constantinus tamē uir magnus, & omnia efficere nitens quæ animo præparasset, simul principatus totius orbis affectās, Licinio bellum intulit, quamuis necessitudo illi & affinitas cum eo esset, nam soror eius Cōstantia, nupta Licinio erat. Ac primò eū in Pannonia, secundò ingenti apparatu bellum apud Cybalas instruentem, repentinus oppressit: omniq; Dardania, Mœsia, Macedonia potitus, numerosas prouincias occupauit: uaria deinceps inter eos bella, & pax reconciliata, ruptaq; est. Postremò Licinius nauali & terrestri prælio uictus apud Nicomediam, se dedidit, et cōtra religionē sacramēti Thessalonicae priuatus occisus est. Eo

tem.



tempore res Romana sub uno Augusto & tribus Cæsaribus; (quod nunquam aliàs) fuit, cum liberi Constantini Galliæ, Orienti, Italiæq; præessent. Verùm insolentia rerum secundarum aliquantulum Constantinum ex illa fauorabilis animi docilitate mutauit. Primùm necessitudines persecutus, egregium virum, et sororis filium, commodè indolis iuuenem interfecit, mox uxorem, post numerosos amicos. Vir primo imperij tempore optimis principibus, ultimo medijs comparandus. Innumera in eo animi corporisq; uirtutes claruerunt, militaris gloriæ appetentissimus, fortuna in bello prospera fuit: uerùm ita, ut non superaret industriã. Nam etiam

Go

Gothos post ciuile bellum uariè profligauit. Pace his ad postremum data, ingentemq̃ apud barbaras gentes memoriam gratiæ collocauit: ciuilibus artibus, & liberalibus studijs deditus, affectator iustitiæ & amoris, quæ omnino sibi & liberalitate & docilitate quæsiuit, sicut in nonnullos amicos dubius, ita in reliquos egregius: nihil occasionum prætermittens, quo opulentiores eos clarioresq̃ præstaret. multas leges rogauit, quasdam ex bono & æquo, pluresq̃ superfluas, nonnullas seueras, primusq̃ urbem nominis sui ad tantum fastigium euehere molitus est, ut Romæ æmulam faceret. Bellum aduersum Parthos moliens, qui iam Meso-

Mesopotamiam fatigabant, uno  
 et trigesimo anno imperij, ætatis  
 sexto & sexagesimo, Nicomedie  
 in uilla publica obiit. denunciata  
 mors eius etiam per crinitã stel-  
 lam, quæ inusitate magnitudinis  
 aliquandiu fulsit. Eam Græci *κο-  
 μήτηρ* uocant. atq; inter diuos  
 meruit referri.

Successores filios tres reliquit,  
 atq; unum fratris filium. uerum  
 Dalmatius Cæsar prosperrima  
 indole, neque patruo absimilis,  
 haud multo post oppressus est  
 factione militari, & Constantio  
 patruole suo finēte potius quàm  
 iubente. Constantinum porrò  
 fratri bellum inferentē, & apud  
 Aquileiam incōsultius prælium  
 aggressum, Constantis duces in-  
 terimerūt. ita Resp. ad duos Au-  
 gustos

gustos redacta est. Cōstantij imperium strenuum aliquandiu, & iustum fuit. mox cum & ualetudine improspera, & amicis prauioribus uteretur, ad graua uitia cōuersus, cum intolerabilis prouincialibus, militibus iniucūdu esset, factiōne Magnenti occisus est. Obijt haud longè ab Hispanijs, in castris cui Helene nomen est, anno imperij xvij. ætatis trigesimo: rebus tamē plurimis strenuè in militia gestis, exercituiq; per omnē uitam & tempus sine graui crudelitate terribilis. Diuersa Cōstantis fortuna fuit. à Persis enim multa & graua perpeffus, sæpe captis oppidis, obsessis urbibus, cæsis exercitibus. nulumq; ei cōtra Saporem prosperum præliū fuit: nisi quòd apud  
 n Singa

Singaram, haud dubiam uictoriam ferocia militum amisit: qui pugnam seditiosè & stolidè contra rationem belli, die iam præcipiti poposcerunt. Post Constantis necem, Magnentio Italiam, Africam, Gallias, obtinēte, etiam Illyricum res nouas habuit: Veteranione ad imperium cōsensu militū electo: quem grande uum iam, & cunctis amabilem, diuturnitate & felicitate militiæ, ad tuendum Illyricum principes creauerant: uirum probum, & morum ueterum, ac iucundæ ciuilitatis: sed omnium liberalium artium expertem: adeo ut ne elementa quidem prima literarū, nisi grandæuus, & iam imperator, acceperit. Sed à Constantio, qui ad ultionem fraternæ necis, bellum ciuile

uile commouerat, abrogatū est  
 Veteranioni imperiū: qui nouo  
 inusitatoq; more, consensu mili-  
 tum deponere insigne cōpulsus  
 est. Romæ quoq; tumultus fuit:  
 Nepotiano, Constantini sororis  
 filio, per gladiatoria manum im-  
 perium uendicante. qui seuis ex-  
 ordijs dignum exitū nactus est.  
 uigesimo enim atq; octauo die à  
 Magnentianis ducib. oppressus,  
 poenas dedit: caputq; eius pilo  
 per urbem circumlatum est. gra-  
 uissimæ proscriptioes & nobi-  
 lium cædes fuerunt. Non multo  
 post Magnētius apud Mursam  
 profligatus acie est, ac penè ca-  
 ptus. ingentes Romani imperij  
 uires ea dimicatione consumptæ  
 sunt, ad quælibet bella externa  
 idoneæ, quæ multum triumpho-

rum possent securitatisq; conferre. Orienti mox à Cōstantio Cæsar est datus, patruī filius Gallus. Magnentiūsq; diuersis pręlijs uictus, uim uitæ suæ apud Lugdunum attulit, imperij anno tertio, mense septimo: frater quoq; eius Senonis, quem ad tuendas Gallias Cæsarē miserat. Per hæc tempora etiam à Constantio multis inciuilibus gestis, Gallus Cæsar occisus est: uir natura ferox, et ad tyrannidem pronior, si suo iure imperare licuisset. Syluanus quoque in Gallia res nouas molitus, ante diē trigessimū extinctus est. Mox Iulianū Cæsarē ad Gallias misit, patruelē suū, Galli fratrem: tradita ei in matrimoniū sorore. Cum multa oppida Barbari expugnassent, alia obsiderēt, ubiq; fœda

foeda uastitas esset, Romanumque imperium dubia iam calamitate nutaret: ab hoc modicis copijs apud Argentoratum, Galliae urbem, ingētes Alemannorum copiae extinctae sunt. rex nobilissimus captus: Gallie restitute: multa postea per eundem Iulianum egregia aduersum Barbaros gesta sunt: submotique ultra Rhenū Germani: & finibus suis Romanum imperiū restitutum. Neque multo post, cum Germanici iam exercitus à Galliarum praesidio tollerentur, consensu militum Iulianus factus Augustus est: interiectoque anno, ad Illyricum obtinendum profectus est: Constantio Parthicis bellis occupato, qui rebus cognitis, ad bellum ciuile conuersus, in itinere obiit: inter



Ciliciam Cappadociamq̄, anno imperij octauo & trigesimo, ætatis quinto & quadragesimo, meruitq̄ inter diuos referri: uir egregiæ trāquillitatis, placidus, nimis amicis & familiaribus credens. mox etiã uxoribus deditior: qui tamē primis imperij annis ingenti se modestia egerit, familiarium etiam locupletator: neq̄ inhonoros sinens, quorum laboriosa expertus fuisset officia. ad seueritatem tamen propēsior, si suspicio imperij moueretur. mitis aliàs, & cuius in ciuilib. magis q̄ in externis bellis sit laudāda fortuna.

*Eutropius  
de se.*

Hinc Iulianus rerum potitus est: ingentiq̄ apparatu Parthis intulit bellū. cui expeditioni ego quoq̄ interfui. Aliquot oppida et castella Persarū in deditionem

acce-

accepit, uel uí oppugnauit. Assy-  
 riamq; populatus, castra apud  
 Ctesiphontē statiuā aliquandiu  
 habuit. remeansq; uictor, dum se  
 incōsultius praelijs inserit, hostili  
 manu interfectus est, sexto kal. Iu-  
 lias, imperij anno septimo, ætatis  
 altero & trigesimo. atq; inter di-  
 uos relatus est: uir egregius, &  
 Remp. insigniter moderaturus,  
 si per fata licuisset. liberalibus di-  
 sciplinis apprimè eruditus: Græ-  
 cis doctior: atq; adeò, ut Latina  
 eruditione nequaquã cum Græ-  
 ca scientia conueniret. facundia  
 ingenti & prompta, memorię te-  
 nacissimę. in quibusdam philoso-  
 pho propior. in amicos liberalis:  
 sed minus diligens quàm princi-  
 pem decuit. fuerunt enim non-  
 nulli, qui uulnera glorię eius in-  
 ferrent.

ferrent. in prouinciales iustissimus: & tributorū, quatenus ferri posset, repressor. ciuilis in cunctos, mediocrem habens ærarij curam, glorię auidus, ac per eam animi plerūq; immodici. religionis Christianæ insectator: perinde tamen, ut cruore abstineret. Marco Antonino nō absimilis: quem etiam æmulari studebat.

Post hūc Iouinianus, qui tunc modestius militabat, ad obtinendum imperium consensu exercitus electus est: commendatione patris q̄ sua militibus notior, qui iam turbatis rebus, exercitu quoque inopia laborante, uno à Persis atque altero prælio uictus, pacem cum Sapore necessariā quidem, sed ignobilem fecit: multatis finibus, ac nonnulla imperij  
Romani

Romani parte tradita: quod ante  
 eū annis ccc. & xxij. ferè, ex quo  
 Romanum imperium cōditum  
 erat, nunquā accidit. Quinetiam  
 legiones nostrę, ut apud Caudiū  
 per Pontium Thelesinum, ita &  
 in Hispania apud Numantiā, &  
 in Numidiā sub iugū missæ sunt,  
 ut nihil tamē finium traderetur.  
 Ea pacis cōditio non penitus re-  
 prehendenda foret, si fœderis ne-  
 cessitatem, cum integrū fuit, mu-  
 tare uoluisset: sicut à Romanis  
 omnib. his bellis quę cōmemora-  
 ui, factū est. Nam & Samnitibus  
 & Numantinis & Numidis con-  
 festim bella illata sunt: neq; pax  
 rata fuit. Sed dum æmulum im-  
 perij ueretur, intra Orientem re-  
 sidens, gloriæ parum consuluit.  
 Itaq; iter ingressus, atq; Illyricum

*Eutropius  
 suadet per-  
 fidiam.*

petens, in Galatiæ finibus repentina morte obiit: uir aliàs neque iners, neq; imprudens. multi ex animatum opinantur nimia cruditate: nimis enim epulis inter cœnandum indulserat, aliq; odore cubiculi, quod ex recenti tectorio calcis, grauè quiescentibus erat. quidam nimia prunarum, quas graui frigore adoleri multas iusserat. Deceffit imperij mense septimo, tertio decimo kal. Martias: ætatis, ut qui plurimum ac minimum tradūt, tertio & trigesimo anno. ac benignitate principum qui ei successerūt, inter diuos relatus est. Nam & ciuilitati propior, & natura admodum liberalis fuit. Is status erat Romane rei, Iouiniano eodem & Varroniano Cofs. anno urbis conditæ millesimo

mo centesimo, nono & decimo.

Quia autem ad inclytos principes uenerandosq; peruentum est, interim operi modum dabimus. Nam reliqua stilo maiore dicenda sunt: quæ nunc non tam prætermittimus, quàm ad maiorem scribendi diligentiam referuamus.

FINIS.

ERRATA.

Pagina 5. uers. ult. pro 18. lege 38. 125. uersu 18.  
pro Gothiæ, Cotticæ. 188. uersu 16. pro paran  
dum, pacandum.

INDEX

# INDEX RERVM IN EVTROPIO MEMORABILIVM.

|          |                         |                               |
|----------|-------------------------|-------------------------------|
| <b>A</b> | Aemilij Pauli mors      | 47                            |
| <b>A</b> | Ccium Epiri locus       | Aemilianus Rom. imper-        |
|          | folio                   | 118 rat tres tantum men-      |
|          | Achaia in prouincia     | ses 159                       |
|          | formam redacta          | 131 Aemilianus in Moesia      |
|          | Achilleus interficitur  | res nouas molitur             |
|          | 175                     | 159                           |
|          | Adherbales interficitur | Aesquilinus mons urbi         |
|          | 77                      | adiunctus 6                   |
|          | Adiabenos superat Se-   | Aequorum urbs à Ca-           |
|          | uerus imperator         | 152 millo capta 18            |
|          | Adiabenos occupat Tra-  | Aetoli à Fulvio uicti 63      |
|          | ianus                   | 138 Africa à Quinquegen-      |
|          | Aegyptus Romano im-     | tianis infestatur 173         |
|          | perio adijcitur         | 118 Africa cur à Romanis      |
|          | Aelianus rusticorum     | non subacta 38                |
|          | dux                     | 172 Afri nauali praelio supe- |
|          | Aelius Hadrianus Ro-    | rati 35                       |
|          | manorum imp.            | 141 Afri à Catulo debellati   |
|          | Aemilius Paulus in Afri | 39                            |
|          | cam mittitur            | 34 Afri à Romanis debel-      |
|          | Aemilius Paulus classem | lantur 31                     |
|          | Carthaginensium mer-    | Afri in Sicilia uicti 32      |
|          | git                     | 35 Agrigentum ciuitas à       |
|          | Aemilius Paulus contra  | Leuino capta 51               |
|          | Perseum missus          | 64 Agricultura studiosus      |
|          |                         | Qu.                           |

I N D E X.

|   |          |  |     |
|---|----------|--|-----|
| Qu. Dictator                                | 14       | Amandus dux rusticorum                               | 172 |
| Agrippina Gallia                            | 137      | Amicitia Romanorum                                   |     |
| Albani ubi                                  | 4        | petit Ptolemæus rex                                  |     |
| Albani ab Hostilio uiti                     | 4        | 30   |     |
| Albanis bellum infert Pompeius              | 102      | Amphitheatrum à Vespasiano ædificatum                |     |
| Albanis regem dat Traianus                  | 138      | Amullinus Diocletiani imp. pater                     | 171 |
| Alexandria quando à quo condita             | 22       | Amyson ciuitas à Lucullo capta                       | 97  |
| Alexandrinae thermæ                         | 126      | Ancus Martius, quartus Romanorum rex                 | 5   |
| Alemanni trucidantur                        | 175      | Andriscus in triumpho Metelli ante currum ductus     | 70  |
| Alemanni à Constantino cæsi                 | 183      | Androgynus Romæ uisus                                | 71  |
| Alemanni in Italiam penetrant               | 161      | Annon Afrorum dux à Leuino captus                    | 51  |
| Algidus mons                                | 14       | Annius Antoninus                                     | 145 |
| Allectus Carausium occidit                  | 174      | Annulorum tres modij ex interfectis Romanis collecti | 48  |
| Allia fluuius, Romanorum strage nobilitatus | 17. & 18 | Annus in decem menses diuisus                        | 4   |
| Almus mōs uitifer                           | 168      | Antennates à Romulo uicti                            |     |
| Alpes transit Hannibal                      | 45       |  |     |



I N D E X.

|                         |     |                         |
|-------------------------|-----|-------------------------|
| uicti                   | 3   | Antoninus Caracallæ fi- |
| Antomusium occupat      |     | lius fictitius 154      |
| Traianus                | 138 | Antonini Caracallæ imp  |
| Antiochus circa Sipy-   |     | peratoris facta 154     |
| lum uictus              | 61  | Antonini Commodi fa-    |
| Antiochus Ptolemæum     |     | cta 150 (144            |
| debellat                | 41  | Antonini Veri facta     |
| Antiochus captus        | 61  | Appia uia ab Appio      |
| Antiochus Syriæ rex p   |     | Claudio strata 24       |
| Romanis pugnat          | 63  | Appius Claudius in Ma-  |
| Antiochi cum Romanis    |     | cedoniâ mittitur 92     |
| pax                     | 62  | Ap. Claudius Cēsor 23   |
| Antiochenſibus obſides  |     | Appij Claudij decēuiri  |
| redduntur               | 103 | neſanda libido 15       |
| Antoninus Pius Ro. im   |     | Appij Claudij mors 92   |
| perator 143. et 144     |     | Appius Sabinus à Da-    |
| Antonius in Italia bel- |     | cis interfectus 135     |
| lum ciuile mouet        | 156 | Appion rex Pop. Rom.    |
| Antonius uincitur       | 114 | heredē inſtituit 100    |
| et 115                  |     | Apollonia euerſa 99     |
| Antonij et Cleopatæ     |     | Apollonius Chalcedoni-  |
| coniugium               | 117 | us Antonini imp. pro-   |
| Antonij mors            | 113 | ceptor 147              |
| Antonius à ſenatu ho-   |     | Apri militis mors 171   |
| ſtis patriæ iudicatur   |     | Apro impuſſore occidi-  |
| 113                     |     | tur Numerianus 170      |
| Antonini Baſſiani Ro.   |     | Appuliæ ciuitates occu- |
| imperatoris facta       | 153 | pat Hannibal 49         |
|                         |     | Aqui-                   |

I N D E X.

|  |     |   |        |
|--|-----|---|--------|
| Aquitania bello uexa-<br>tur                                 | 116 | Aristones Atheniensis                                   | 85     |
| Arabia prouincia facta                                       | 138 | Aristonicus bellum Ro-<br>manis infert                  | 74     |
| Arabes uincit Seuerus<br>imperator                           | 152 | Ariminum ciuitas à Ro-<br>manis ædificatur in<br>Gallia | 30     |
